6
11-b
53

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 D
28

A 111 a 57

6 – 12 . f . 19

6 – 11 – f – 53

Digitized by Google

MANIPVLVS ORATIONVM AB ERVDITIS VIRIS POLONICAE NATIONIS,

DIVERSIS TEMPORIBVS,
& occaſionibus ſcriptarum.



BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EM

ROMÆ,
Ex Typographia Hæredum Franciſci Corbelletti.
M. DC. XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I.B. Epiſc. Camer. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Gaſpar Aronus Lector, Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Riccardij Sac Pal. Apoſt. Magiſtri, Ord. Prædicatorum.





Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

EMINENT.MO ET REV.MO

PRINCIPI

GVIDONI

S. R. E. CARD.

BENTIVOLO.

BIBLIOTECA N.LE
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Andreas Trzebicki Scholaſticus Plocenſis F.

ERVDITO hoc ſeculo. Princeps Eminentiſsime, quo cultiores Europæ partes, optimorum ſtudiorũ laude, floreſcunt bellicoſa, etiam lætatur Polonia, vberes promi à Polonicis ingenijs, in omni diſciplinarum genere fructus, quales Iunceo, flexiliq; regnata manipulo, velut certo omine facilitatis, comple-

Digitized by Google

xionisq; omnium bonarum artium, debuit ſibi meritò polliceri. Licet enim pars illa mundi, frigidiori ſubiecta ſit cælo, non tamen ſolis inde contegitur niuibus, pruinisque, ſed & placido interdum rore conſpergitur, quò abundè fouentur, atque aluntur ingenia, ac inter continuos ferè bellorum tumultus, manſuetioribus florens diſciplinis, haud viris caret, qui pectora æquè Palladi ac Marti deuota, barbarorum mucronibus opponant. Inde conſilium mihi, orationes aliquot (quas ex vberrimà patrij ſoli meſſe, tanquam poſt operariorum veſtigia ſpicas collegi) eloquentiæ Polonicæ notas, in manipulum hunc colligare, quem Vrbi, Orbis terrarum olim dominæ, cum ob argumenti (quod regium eſt) amplitudinem, tum ob priſci, illiq; quondam natiui, apud Sarmatas etiam tam be-

ne

ne culti, ſermonis venerationem, haud ingratum fore exiſtimo. Tibi verò Princeps, non magis dignitate, quam virtutibus Eminentiſsime, quidquid hoc eſt, offerre, Tuoq; nomini conſecrare volui; nam quia ingenij mei tenuitas, nihil Tua propè ſingulari in mè benignitate, ampliſſimoq; nomine dignum, proferre potuit, alienos fructus ad hoc obſeruantiæ, & grati animi officium conteſtandum ſelegi, eſt enim non inſolitum, peregrina etiam veluti nomine vectigalis magnatibus offerre, & fit plerumq; quod exotica magis placeant. Quanquam quid peregrinum, aut quid exoticum Tibi obuenire poteſt, cuius doctrinæ, ſapientiæ, rerum vſui, nihil quantumuis longinquum non familiare, qui & BENTIVOLÆ gentis claritate, & maiorum factis, & proprijs peregrinationibus, ſcriptiſque, non Belgium modo illu-

illuſtraſti,aut Gallias luſtraſti, ſed ſicut magnam orbis terrarum partem, virtutum Tuarum famà compleuiſti, ita totum planè ſic animo comprehendiſti; vt quicunque in Te ſummam rerum cognitionem inſpexerit, non vnius patriæ, ſed orbis ciuem Te iure dixerit. At laudes Tuæ faciliùs moderationem Tuam poſſunt fatigare, quam nos explere, ego igitur eas omitto, quę ſubliniora expoſcunt ingenia, ſuppliciter, ſummiſsèq; precatus, vt hoc obſeruantiæ meæ teſtimonium, cum plurium Patriæ meę ciuium, tum inprimis Plocenſis Antiſtitis, multis nominibus Tui, operà factum, meà curà coaceruatum, velut meum læta fronte excipere non dedigneris, vt mihi, fortunæq; meæ congratulans, veniam ad Te cum exultatione portans manipulos meos. Vale.

Lau-

Laudatio Funebris

SERENISSIMI

SIGISMVNDI III.

POLONIARVM,

ET SVECIAE REGIS: &c.

Ab Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. in Chriſto P.

D. STANISLAO LVBIENSKI

EPISCOPO PLOCENSI,

Scripta.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

CVM omnibus inditum ſit quoddam à natura deſiderium habendi aliquam eorum virorum notitiam, qui in aliqua facultate nomine digni euadunt, ideò vt beneuoli Lectoris hac in re optatis aliquatenus reſpondeam, opportunum duxi ſaltem de præcipuis, quorum Orationes in hoc volumine continentur, pauca hic ſubiungere, hoc eſt ſolos honores & Magiſtratus, quibus in illo Regno perfuncti ſunt ſtrictim attingere.

Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis, iuuenis admodum ceterùm ingenio acri, & diuerſis artium diſciplinis exculto, Regiæ aulæ admotus, facilè in ea dicendi, ſcribendiq́ laude enituit, moxq́ Sigiſmundo Tertio Pio, Prudenti, Felici Poloniæ Regi, non dubijs argumentis, quid virtute, & ingenio poſſet probatus, ab eo ſimul cum fratre ſuo; nunc Epiſcopo Vladislauienſi vigilantiſſimo, negotium accepit, luſtrandi Archiuij Regni, in quo præter inita cum finitimis Principibus pacta, fœdera, tranſactiones, ingens diuerſarum ſcripturarum, vetuſtatis caligine obſitarum, copia continebatur. Itaque triennalis temporis ſpatio huic rei impenſo, totam illam antiquorum monimentorum farraginem, accuratè perluſtrauit; atque in ordinem & compendium redegit. Regentis poſtmodum Regiæ Cancellariæ munere pluribus annis functus,

ctus, poſteaquam Supremo Regni Tribunali (ita vulgo vocantur iudicia quæ per lectos ex Eccleſiaſtica, & ſæculari nobilitate iudices ſemper exercentur) pluries iudex interfuit & præfuit, ab URBANO VIII. *Pont. Opt. Max. Luceorienſis Epiſcopus fuit renuntiatus, Rege Sigiſmundo eum commendante, qui interpoſitum de eo apud ſupremum Patrum Patrem iudicium, luculenter comprobauit, cum ad eum Viceccancellariatum amplum admodum in Regno Poloniæ Magiſtratum, paulò poſt detulit. Quo ille aliquot annis publicà cum vtilitate geſto, eodem Sigiſmundo Rege fauente, à Luceorienſi ad Ploccnſem Eccleſiam regendam, Apoſtolica auctoritate tranſijt, cui ea vigilantia, & integritate hactenus præeſt, vt doctiſſimi, & Prudentiſſimi Pontificis* URBANI VIII. *iudicio, iam Bonus Paſtor, iam Diuini honoris ſtudioſiſſimus, dici meruerit. Morte deinceps Sigiſmundi Regis ſecuta, Vladiſlaus Quartus nunc Poloniæ Rex Potentiſſimus, laudandi Patris munus ad eum detulit, quod ille executus eſt, cum vniuerſum Regnum iuſta optimo Principi ſolueret, ſcriptis his duabus orationibus, & altera earum recitata, magna ordinum omnium, & Legatorum nomine Principum Chriſtianorum interuenientium frequentia.*

Digitized by Google

Laudatio Funebris

SERENISSIMI

SIGISMVNDI III.

POLONIARVM,

ET SVECIAE REGIS &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. in Chriſto P.

D. STANISLAO LVBIENSKI

EPISCOPO PLOCENSI,

Scripta.

IN theatro lugubris mæſtitiæ, & acerbiſsimi doloris poſitum, intuemur Sereniſsimum & Inuictiſsimum Principem SIGISMVNDVM III. Poloniarum & Suecorum Regem: ille Europæ, Aſiæ, & Africæ, in potentiſsimo Turcarum Imperatore, quem non minùs fortiter quàm feliciter à ceruicibus noſtris repulit, victor: ille latè patentis Moſchouiæ, expugnato Smolenſco, Vrbe Regia, ac tanti Regni, quod Europæ ingentes receſſus ſua iuriſdictione complectitur, Principe Suiſcio, vnà cum duobus fratribus capto, trium-

Digitized by Google

phator magnificus: ille immaniſsimæ omnium quæ ſub Sole extant Tartaricæ nationis terror: ille omnium hoſtium domitor: illa pietas, illa Religio, illa iuſtitia, ille humani generis amor & delitiæ: ille, qui quadraginta quatuor & ampliùs annorum feliciſsimi imperij ſucceſſu, id cõſecutus eſt, vt Rex ſui temporis Regum dici & haberi mereretur: ille qui Auguſtis domus Auſtriacæ connubijs, vniuerſi Chriſtiani orbis Reges & Principes, illuſtrium affinitatum nexibus, ſibi deuinxerat: ille Regiæ ſobolis ad ſalutem Reipubl. Chriſtianæ natæ felix Pater: ille inquam SIGISMVNDVS, qui & originis nobilitate, & Regnorum, quibus præfuit felicitate, & imperij diuturnitate, omnes ſui temporis Reges longè ſuperauit, eſſe deſijt; & ſe vixiſſe, hoc ſupremi exitus ſui triſti ſpectaculo, teſtatur. Lachrymiſnè eius mortem decorare, an memoria Heroicarum Magni Regis virtutum animos à mœrore & triſtitia auocare conuenit, Vobis, qui præſentes adeſtis, diſpiciendum relinquo. Illas quidem poſcit Domus Regia, tanto orbata parente: poſcit in primis Sereniſsimus Princeps VLADISLAVS SIGISMVNDVS noſter Electus, & Suecorum Gottorumq. Hæreditarius REX poſcunt omnium Ordinum & Statuum Regni Poloniæ, & Mag: Duc: Lith: quos atratos & frequentes videmus, inclyti Senatores, Equites, & Proceres: poſcit denique hæc funebris pompa, ad excitandum dolorem compoſita: cæterùm hæc omnia ad vnius alteriuſuè diei, vt rerum humanarum conditio fert, decurſum duratura, linquamus alijs. Deflebunt SIGISMVNDVM, quos naturæ lex, lachrymas fundere iubet: deflebit vniuerſa Reſpubl. noſtra, quam diu nominis Polonici exſtabit memoria: deflebimus nos, qui eius beneficijs creuimus, honoribuſq. ab eo aucti ac ornati conſpicimur. Fundemus non ſtipendiarias, nec triſti cohortatione extortas lachrymas; ſpontè illæ fluent, maioremq. in pectoribus, animiſq. noſtris contineri dolorem quàm palàm oſtendũt teſtabuntur. Sed nos interim ad alia Orationem noſtram conuertamus, ingẽſq. & magnum pelagus virtutum, huius qui quon-

dam

dam Magnus Rex,nunc exangue cadauer cernitur,ingreſsi,in earum admiratione aliquantiſper immoremur. Neque ſanè quiſquã exiſtimet temerè vel audacter me hoc munus ſuſcepiſſe: non temerè, nam hæc Prouincia nutu Tuo Sereniſsime REX VLADISLAE, ad me delata eſt: non audacter nimis, nam propè quadraginta annorum obſequio, plus pleriſque experimenti capere potui quod ad præſentem vſum ſeruiat. Scio ego Regias virtutes, ſub vulgarem cenſoriæ notæ æſtimationem cadere non poſſe. Sublimius & maius iudicium illæ ſibi depoſcunt: de quibus cùm multi multa dixerint, ſcripſerintq., ego potiſsimùm eas deligam,ex quibus Regiam SIGISMVNDI Coronam compactam fuiſſe, vel ipſa inuidia fateatur neceſſe eſt. Audeamus igitur aliquid plus genio & ingenio noſtro, ordiamurq. magis vera, quam ornata, oratione ſuſceptum exequi munus.

Chriſtiani & Catholici Regis virtutes recenſenti, viro Eccleſiaſtico,maximè conuenit, vt dicendi initium ſumat à Pietate, à religione,à conſtanti augendi & promouendi cultus Diuini ſtudio. Hæc enim omnium virtutum eſſe prima,& præcipua fundamenta,impius ſit,qui negauerit: ſuper hanc baſim feliciter aſſurgunt parietes cunctarum perfectiſsimarum actionum, cùm nihil ritè,nihilq. prouidenter homines,ſine Dei immortalis ope,conſilio, honore,auſpicari poſsint. Niſi fortè quiſpiam, vt ſunt hominum ingenia, obſtrepere voluerit, & cæteras quidem virtutes æmulandas Principi non negauerit; pietatem religionemq. priuatorum hominum occupationem eſſe contenderit. Talem taleſq. ego, ſi modo tanta impietas vllibi receptum habeat, extra orbis Soliſq. vias reiecerim, & indignos iudicauerim qui communi aura, communibuſq. vitæ ſubſidijs, perfruantur. Regius vates Spiritu ſancto afflatus, cùm ſciret pleroſq. Reges vel efferri ſuperbia,vt homines ſe eſſe vix meminiſſe velint; vel certè,quę ſumma impietas eſt, pietatis ſtudia cæteris actionibus poſtponere; vel accendi iracundia,vt ad crudelitatem exercendam prono ferantur impetu; ab hac amentia auertere eos conatur. *Et nunc,* *Plin. in Paneg.*

A 2 inquit,

Digitized by Google

inquit, *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Intelligite, vos pari cum cæteris eſſe conditione, natura mortales, neceſsitate & lege fati mox morituros. Erudimini, nā etiamſi terræ ſitis Iudices, etiamſi ius ex æquo & bono dicatis, etiamſi viam iuſtam tenere videamini: niſi tamen diſciplinam non terrenam: ſed cæleſtem apprehenderitis; niſi Domino cum timore ſeruieritis; niſi trementes laudes eius decantaueritis, & nomen ſanctiſsimum, Maieſtatem illam omni maieſtate maiorem, exaltaueritis; ex hac ipſa via, quæ vobis iuſta videtur, ita decidetis, vt vos perijſſe ſerò quidem, ſed ſeriò, ſitis dolituri. Cæteræ virtutes, (inquit Valerius Maximus) admirationis tantummodò multùm, pietas verò etiam amoris meretur plurimùm. Ad hanc Sereniſsimum Regem noſtrum, non factum, ſed natum vidimus; hanc ex ipſis maternis traxit viſceribus, hanc ſuxit ex vberibus. Meritò S. Gregorius, vel ipſe potius Spiritus ſanctus, dum ſtupendum illud inuictæ patientiæ exemplar, Iobum, in terra Hus, quæ erat erroribus impijs infecta, natum refert, id illius laudi & præconio adſcribit; quod vir pius, inter impios conuerſatus, pietatis tramitem non deſeruerit: eſſe enim bonum inter malos, plus eſt, quàm ſi inter optimos optimus appareres. Non obfuit SIGISMVNDO, imò profuit, naſci in Regno Hæretico, & eo Patre qui ad ſuum arbitrium religionis cauſam reuocabat: blandimentis, quæ iuuenilem animum facilè commouerent vrgebat Pater, ſibi gratum fore, ſi filius ſuæ ſententiæ, vel opinioni potiùs erroneæ, accederet; ſed & minæ, & ipſa penè vis admota, ſtabile, pectus loco mouere non potuerunt, ſeu vera ſeu ficta Senatus Suetici denunciatio, *cariturum Regno, niſi nouæ religioni nomen daret*, id extorſit, vt peruicem potiùs ſe daturum, quam religionem Catholicam deſerturum profiteretur. Hæc admodum iuuenis, inter Hæreticos Magiſtros, ac eorum & Patris imperio obnoxius, iam Matre ſanctiſsima fœmina orbatus, illius tamen moni-

monitorum memor,dixit fecitq.prudenter,conſtanter,religioſè. Tãtis initijs totus deinceps vitæ decurſus,optimè reſpondit. Ita ſemper vixit SIGISMVNDVS,vt eius pietatem Summi Eccleſiæ Præſides laudarent, Reges Chriſtiani admirarentur, Ciues amarent, hoſtes pertimeſcerent: ipſe inter maxima poſitus pericula,ea vbiq. tutus parata vitæ diſcrimina inaudita felicitate euitarit,ſuperaritq. Dum Chriſti religio, dum Eccleſia Catholica,dum ſincera Euangelicæ veritatis profeſſio durabit; quæ tamen omnia ad ſupremum totius vniuerſi exitum duratura, Chriſtus ipſe ſpopondit: extabunt in Polonia & Lithuania, nobiliſſima monumenta SIGISMVNDI Regis,pietatis,magnificentiæ,liberalitatis,Templa Baſilico opere ſtructa. Aræ, Altaria,Diuorum Statuæ, auro & argento fuſæ,teſtabuntur SIGISMVNDVM Regem, neque erga Deum pietate, nec erga Sanctos Dei veneratione, cuiquam etiam maximorum & ſanctiſſimorum Regum concedere voluiſſe. Loquetur & ſpontè agnoſcet Polonia, quæ illo Regnum auſpicante magnam Senatus partem,vt inferiorum Ordinum homines ſilentio prętercam,diuerſis infectam hæreſibus vidit,ſe propè vniuerſam cum ampliſſimis Prouincijs ſuis, ad veteris Orthodoxę & Catholicæ Romanæ religionis normam, paterna & pia tanti Regis cura, traductam. Neque ille ad id efficiendum vlla vi opus habuit: ſola ipſius pietas, ſola erga Deum religio,erga Sedem Apoſtolicam obſeruantia,mentis puritas,corporis caſtitas, vnumquemque commouere poterat,ad obſeruandum,magniq.æſtimandũ, tantum Principem,eiuſque pręſtantiſſimas virtutes ęmulandas: itaque pij regiminis dulcedine,adeò mox cunctorum hominum animos pellexit, vt ad ſui exemplum penè totam compoſuerit Poloniam. Multa hac de re dici poſſent,multa adferri,quæ fortaſſe Catholicis viris grata eſſent; aduerſariorum verò aures minus iucundo ſono ferirent:ſed ille,qui dum vixit, pietatis ſuę actus Deo ſoli notos eſſe voluit, ne nunc quidem, vt in publicum proferantur velle admittere credendus eſt. Ad alia igitur

A 3 tran-

Digitized by Google

tranſeamus: videamus vt cęterę Regię virtutes, ſemper quidem pietati coniunctę,& in ea fundatę,in illo enituerint. Iuſtitia imprimis,quam omnium virtutum Reginam meritò viri Sapientes exiſtimarunt. Ageſilaus quidem Rex, cùm ab eo quęreretur, vtra virtus eſſet pręſtantior: Fortitudo an Iuſtitia? Grauiter reſpondit:Fortitudinis nullum eſſe vſum, niſi adſit Iuſtitia: quod ſi omnes eſſent iuſti, fortitudini locum non ſuperfuturum. Quàm latè ea virtus pateat, & ad omnes publicas priuataſque actiones ſeſe diffundat, nemini obſcurum eſſe arbitror: hęc honores dignis; hęc pręmia meritis; hęc coronas immortalis gloriæ, largitur fortibus; hęc bella definit; hęc pacem moderatur; hęc Principem intra pręſcriptos regiminis cancellos, hęc ſubditos in officio, ſocios in fide continet; hęc ſontes punit; innocentes abſoluit, excindit latrocinia, regna conſeruat, Principes & Reges cęlo inſerit. Romanos, olim rerum Dominos, nihil magis nobilitauit quàm iuſtitia: eam autem non Ciuibus tantùm amicis & ſocijs, ſed hoſtibus quoque ſuis ſemper ſeruandam eſſe cenſuerunt; ea domi foriſq. pacis belliq. tempore,conſtanter eminere contendorunt. Mirari ſanè licet tanti virtutem in illa Vrbe ęſtimatam, vt ei latere non liceret, ab aratro & ligone euocabantur viri fortes: ijs ſumma imperia, ijs Dictaturę deferebantur; ampliſsimi & clariſsimi victoribus, triumphi decernebantur. Veteranis & emeritis militibus, ea quę ad ſenectutem cum honore traducendam neceſſaria erant, publico ſumptu abundè ſuppeditabantur: ijs qui in acie,pro patria vitam profudiſſent, honores, laudes, Statuę, monumenta æterna deferebantur,proponebantur,conſecrabantur. Ac vt omnibus conſtaret, nonniſi per virtutem honores haberi poſſe; honori ac virtuti templum dicarunt, interiecto tantum diuiſum pariete, ita vt in honoris templum, nullum eſſet oſtium, nullus niſi per virtutis templum,in illud aditus: virtus enim cauſa honoris eſt; honor effectus virtutis: illa meritum, hic pręmium: illa radix,hic fructuoſiſsimę radicis fru-

ctus

Digitized by Google

ctus: ſine virtute, nullus verus ſolidus ac diuturnus honos eſſe poteſt, & qui honore priuat virtutem, is homines priuat virtute, vt Cato dicere ſolebat. Quid ego hoc loco de SIGISMVNDI Regis iuſtiſsimi iuſtitia dicam? Percurramnè omnes eius Imperij annos, & tempora? Non me eò demittam, vt cuncta rimer & perueſtigem. Vos pleriq. teſtes eſtis, illum nunquam in mandandis Magiſtratibus, in decernendis honoribus, ita à ſcopo & ſuæ intentionis & Reipubl. dignitatis aberraſſe, vt eum hunc vel illum promouiſſe, vix vnquam pœniteret: magno & acri iudicio expendens & merita & onera, non facile explicabat, quid decreturus, quem muneri publico admoturus eſſet: ita plerisq. cunctantior viſus, & qui interdum deſideria ambientium, longa expectatione, ſuſpenſa torqueret. Vix tamen accidit, vt præter communem opinionem, quenquam vel dignitate ornaret, vel præmio efficeret. Sciebat enim optimè, quantum publicæ ſalutis & ſuæ dignitatis intereſſet, dignos Magiſtratibus præficere. *Eſt malum* (inquit Spiritus ſanctus) *quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem gradiens, à facie Principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* Antiochus Syriæ Rex, Medicum conſilij ſui præſidem fecerat. Ludouicus XI. Gallorum Rex, ſutori ſuo Fetialis ac Internuncij; Tonſori Legati; Medico Magni Cancellarij partes detulerat: ea res ita commouerat Galliæ Nobilitatem, vt parum abſuerit, quin Rex Regno excideret. Nihil tale vnquam admiſit noſter SIGISMVNDVS, ab omni eiuſmodi ſorde alienus, fauebat quidem virtuti, fauebat induſtriæ, & vt olim Hannibal: *Qui hoſtem feriet, ille mihi Carthaginenſis erit:* ſic optimum & digniſſimum Ciuem eum exiſtimabat, qui & in Sago, & in Toga, vtilem Patriæ nauaret operam. Altera illa pars iuſtitiæ, quæ lites diſcernit; quæ noxios punit; quæ publicam quietem tuetur; quę Ciues inter ſe mutua connectit charitate & concordia; quæ bella indicit; quæ fœdera ſancit: maiori quidem ex parte non eſt, nec fuit in poteſtate Regum noſtrorum. Sic priſca inſtituta Maiorum, ſic

Digitized by Google

leges voluerunt, ne Rex priuato arbitrio arma ſumeret: ne inconſultis Ordinibus noua fœdera feriret: ne in Ciuis Poloni caput, exiſtimationem, & bona, abſoluta poteſtate quidquam decernendi ius haberet. Quæ res fortaſſis ad frenandam libidinem Regum facta, in SIGISMVNDO certè locum non habuit, cuius mite Imperium ac legibus libertatibuſque Regni accommodatum, extra ſuſpicionem fuit, vel maioris authoritatis, vel liberioris poteſtatis vſurpandæ. Ille quidem, quantum ea res ad cenſuram eius pertinuit, quantum conando efficere potuit, & in proprijs Iudicijs, quæ Regiæ Iuriſdictionis eſſe dicuntur, nunquam à tramite Iuſtitiæ ſe dimoueri paſſus eſt: & vt ij qui Regio nomine Ius dicunt, quàm optimi iuſtiſſimiq. ac iuris cæteris peritiores legerentur, omni ſtudio elaborauit. Dicam id quod ſentio, bona venia aliorum dictum tamen ſit, interfui & præfui Iudicijs Supremis, & in Aula Regia, cùm Vicecancellarij munus obirem, & in ijs Tribunalibus in quibus ex Equeſtri Ordine lecti Iudices ius dicunt: hęc quidem non poſſum niſi laudare probareq.; vtpotè, quæ veram Idæam repręſentant, ſincerę & non cõtaminatę libertatis, neque ampliùs latus exiſtimationis meę, quod ab inuidia temerè petatur, patefaciam, niſi vt hoc fatear. Regia Iudicia & in Comitijs Regni, & in Aulica, vt vocant Iuriſdictione, quę Fiſci, ac Ciuitatum Iuri Magdeburgenſi ſubiectarum, cauſis continetur, caſta, pura, & integra eſſe. Ita voluit SIGISMVNDVS Rex, iuſtitiæ amantiſſimus & ſtudioſiſſimus, ita ad recti Iudicij normam ſeſe accommodauerunt ij, quos ille lateri ſuo aſſidere, quos ſummę rei pręeſſe, quibus exiſtimationis ſuę ſummam committere voluit. Sed quid ille iniuſtitię admitteret, qui priuatas ſuas actiones ad Iuſtitię, ęquitatiſq. regulam ſemper componebat: qui ſimulatione & inani oſtentatione comparere, indignum ſua exiſtimatione putauit: qui ſemper id egit, vt qualis haberi vellet talis eſſet. Neſcio, (inquit Sanctus Hieronymus) quomodo turpiora ſunt vitia, cùm virtutum ſpecie colorantur. *Si diſsimulauerit, delinquit dupliciter;* ait

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus ſanctus. Simulata enim æquitas, teſte S. Auguſtino, non eſt æquitas,ſed duplex iniquitas; quia iniquitas etiam eſt ſimulatio. Sinceræ,& ad regulam virtutis Regis noſtri examinatæ actiones, cæterorum qui tu cum maximè ſallunt,id agunt, vt viri boni eſſe videantur ſimulationes,damnant & ſceleris Hipocritici conuincunt. Hic candor,& non fictæ mentis ſinceritas, prçclariſſimas quaſq. Regis noſtri actiones, heroicos ac diuinos pro Reipublica conatus, ſecundo ſemper euentu proſperabat: & quamuis primis eius initijs,parum propitium fortuna vultum oſtendere ſolita fuerit, vix tamen vnquam aliquid maius aggreſso, felix defuit ſucceſſus. Admirationem ſummam excitabat, in animis gentium, & magnorum Principum, conſtanter ſemper culta, à SIGISMVNDO fides, quam non modo Ciuibus, ſed hoſtibus ſuis ſemper religioſè ſeruauit: pacta & promiſſa reſcindere, fidem datam immutare; ſemel alicui deſtinatum honorem,vel beneficium ad alterum transferre; çquè inſolitum illi fuit ac iuriſiurandi Sacramentum irritare. Audiebat Iſocratem prudenter Regem Nicoclem admonentem: Omni ſtudio contende, vt tuis verbis maior ſit fides, quàm aliorum iuramentis. Animo reuoluebat Sacram Dei ipſius vocem apud Zachariam vatem: *Vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendacij ne diligatis; omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus*. Meminerat quàm acerbas,iuſtas tamen pœnas ſubierit Domus & Familia Regia Saulis,ob violatum ab eo datum populis Gabaonitarum, per Ioſue Ducem Hebrçorum, iuſiurandum ob ademptum agrum,occupataq. contra datam fidem Oppida,ob cçdem per Saulem factam. Septem ipſius nepotes Regius ſanguis, patibulo publicè affixi, pependerunt; & per ſummam immanium cruciatuum acerbitatem, non ſua, ſed Maiorum ſuorum culpa contractum ſcelus, & ſacrilegium, expiarunt: Viderint cçteri Principes,ludere iuramentis aſſueti, quid vel ipſis, vel eorum poſteritati immineat,quibus pœnis teneantur,quibus tormentis

aliquan-

Digitized by Google

aliquando tandem, impia expiaturi ſunt ſacrilegia, etiamſi nunc exultare videantur in ſcelere; etiamſi perfidię ſuę palam iactent ſtratagemata; etiamſi proſpero ſucceſſu ferantur, & per ſummum nefas occupent aliena Imperia, ſanguinem Chriſtianum atrociter fundant; ſacratas Deo Aras, Templa, aditusq. Sacrorum ſacrilego incęſtent auſu, eaq. omnia impunè ſe perpetrare glorientur: vna veniet dies, vna hora, vel potiùs minimum labentis temporis momentum, cùm hęc omnia inanis gloriolę & impię iactantię falſa ornamenta, iſtis Traſonibus, ſanguine Chriſtiano ſaginatis, triſte & ſupremum adferent exitium. Illinè qui nunquam Chriſtiani nominis hoſtem in acie viderũt? qui pedem domo, niſi ad infeſtandas Chriſtianas Prouincias, ad accipienda occupandaq. Regna non extulerunt? qui quotidie impias ſocietates, impia fœdera, cum Turcis, cum Barbaris feriunt, vt eorum rabiem in Chriſtianos accendant, ſuamq. tam turpi ſubſidio Tyrannidem ſtabiliant? Illinè, inquam, quidquam verę laudis, veri decoris ſibi etiamſi integra laudatorũ ad adulationem compoſitorum agmina aduocent, vſurpabunt? Sed nos ad noſtra redeamus, atque ad Iuſtitia ad Clementiam tranſitum faciamus. De qua vt aliquid dicerem, cum multa pręclara eius virtutis ſpecimina, quę in omnibus SIGISMVNDI actionibus enituerũt, tum vel maximè vna eiuſdem Regis vox me impulit. Nam cùm errore quorundam, Regis Imperium faſtidientium, ad arma ventum eſſet, acieſq. eunti Regi, ſub nomine eorum qui tum libertatis patronos ſe ferebant, ſtructa & armata opponeretur: acri, ſed breui prętio res confecta fuit, paucis cęſis, reliquis aduerſarijs in fugam actis. Suadebant nonnulli è fuga retrahendos eos, qui Principes eius erroris erant: Sed Rex, abſit hoc inquit, nedum paucos noxios conſectamur, innocentes multi pereant. Digna ſanè vox quam omnes Reges, omnes Principes audirent: quę in pectoribus eorum, qui cęteris pręſunt, figeretur. Vox pietatis, vox clementiæ, vox manſuetudinis. Nemo eorum, qui in aduerſa acie ſteterant, erat, cui non

hoſtilis

hoſtilis eſſet in Regem animus, cuius non parricidij rea mens, qui non primus haſtam aut gladium Regio ſanguine tingere cuperet: omnes tamen Regio ore, parricidij ſcelere exoluti, omnes pronunciati innocentes; non quia nocere noluiſſent, ſed quia non potuiſſent. Certabatur adhuc, & bellum feruebat, fugiebant hoſtes, mox bellum renouaturi: ſed SIGISMVNDVS & iniurię, & periculi immemor, memor clementię, ſiſti acies iubet, militem ne Ciuem feriat, ne capita aduerſariorum pręcidat, ſeueris cohibet iuſſis. Commemorare poſſem multa alia eodem temporis momento, Regię clementię argumenta, eos qui peſſimè erant de Rege locuti, qui ſcriptis eius nomen lacerarunt, qui ante ipſum conflictum in pectore Regio ſe defixuros haſtas promiſerant, captos, & in poteſtatem Regis redactos, non ſolùm honeſtè habitos, verùmetiam ſtatim dimiſſos; omnium quicunque in acie ceciderant humata corpora: his qui aut vulnera acceperant, aut veſtibus ſpoliati erant, nihil defuit; nam & Medici pręſtò erant, & Rege authore, milites paſſim detractis ſibi veſtimentis, neceſſitati ſpoliatorum ſubueniebant. Dies quidem illa, qua pugna commiſſa eſt, funeſta bonis omnibus, triſtis admodum ipſi etiam victori SIGISMVNDO eſſe poterat: ſed ad immortalitatis gloria, ad famam inauditę clementię eidem conciliandam, maximè accommodata. Vicit SIGISMVNDVS, non armis ſed clementiam; remiſit iniurias, omnem animi offenſam depoſuit, cunctos ad gratię ſuae ſinum admiſit, duobus non poſtremę notę, qui diſſenſionis illius Ciuilis, veluti quidam litui erant, non ſolum erroris veniam dedit, verùmetiam alterum ex ijs, ſummis excoluit honoribus, alterum ſi ſuperuixiſſet, ſi non vitę ſumma breuis ſpes ipſius praecidiſſet, non minoribus honoribus, & dignitatibus aucturus, ornaturuſque. Tanta quidem huius virtutis laus eſt, vt Romanae Eloquentiae Parens meritò dixerit: Homines ad Deos nulla alia re propiùs accedere, quàm ſalutem hominibus dando. Quam multos SIGISMVNDVS Rex ſua clementia

flexit,

Digitized by Google

flexit, vt cùm priùs Regijs actionibus & deſtinatis obſiſterent, mox mutato animo, eidem adhaeſerint, praeclaroſq. ipſius pro Republ. conatus, ſtudio operaq. ſua adiuuerint. Verecundiam enim (inquit Seneca) facit ipſa clementia regentis. Vtq. frequentia eorum, qui ſub cura & manu Medici ſalutem quaerunt, funera Medico dedecori ſunt: ſic Principi quotidiana odia ſubditorum. Sacra quidem Scriptura, Regis thronum clementia & miſericordia roborari: veriſſimè aſſerit. Et Seneca errare eum dicit, qui exiſtimat tutum ibi eſſe Regem, vbi nihil à Rege tutum eſt: ſecuritas, ſecuritate mutua, paciſcenda eſt. Vnum eſt, inquit, idemq. inexpugnabile munimentum, amor Ciuium. Quid pulchriùs quàm viuere optantibus cunctis, & vota non ſub cuſtode, ſed palam nuncupantibus? Optimè Agaſides Lacedæmoniorum Rex, cuidam quærenti, quomodo tutò ſiue ſatellitibus regnare poſſet, reſpondit: Si ita popularibus imperet; vt liberis Pater. Quod ſi clementia Ciuibus grata eſt, quid ſi eadem conſpiciatur hoſti præſtita, quantam admirationem in animis hominum excitat? Suiſcius qui ſummam rerum in Moſchouia tenuit, captus, & ex dignitate perſonæ vnà cum fratribus honorificè habitus, cùm fato diem extremum obijſſet; vita functus non ſepulchro ſed Mauſoleo à SIGISMVNDO victore, victo hoſti magnificè erecto, illatus, & ad perpetuam clementiæ memoriam condecoratus eſt. Non attingam cæteras virtutes, non quod exiſtimem eas Regio decori non conuenire: ſed quia ita in omnibus SIGISMVNDI actionibus fulſere, vt vel inimicorum perſtringerent oculos. In maximis quibuſque periculis, in ipſo vitæ diſcrimine, nullus vnquam eum vidit ita commotum, vt ſerenitatis vultum immutaret, vt non ab animi praeſtanti magnitudine conſilium ſumendum cenſeret, Monitus in praelio Guzouienſi, vt perturbata dextrae partis exercitus acie, ad leuam quae immota ſtabat, ſignum Regium transferret, Ducibus idem ſuadentibus: conſtanter vultu renidens, ne ad vnum quidem palmum terrae, loco quem ceperat

tat ſe mouere voluit. Ad Lincopiam in Suecia, arte Caroli circumuentus,& à Suecis deſertus, cum paucis qui fidem ſeruauerant,Regemq. & Polonos,pro Rege mori paratos,& vitæ diſcrimen,non moltitudinę hoſtium, ſed virtute ſua metientes, non deſeruerant,vrgente Carolo, pugnæ copiam fecit, atque in prima acie, quæ tormentorum ictibus petebatur, ſtetit interritus: multitudinemq.hoſtium & impetum,longe maioris exercitus, virtute ſua ſuſtinuit. Nec illud ſilentio tranſmittere poſſumus, cùm SIGISMVNDVS ſub alterum ex Suecia diſceſſum Calmarien: portum peteret, viq. ventorum nauis, quæ Regem vehebat, in breuia adacta & inuerſa fatiſceret, periculumq. eſſet,ne compagibus ſolutis mergeretur; cimba vna ſuperfuit,qua Rex ad littus euadere & ſaluti ſuę conſulere poſſet: quam cùm eſſet conſcenſurus, & aliquot vel timidiores vel audaciores in eandem ſe demitterent, vnuſq. ex ijs quibus Regiæ ſalutis cura demandata fuit, ſtrictis armis ab excenſu eos arcere vellet; Deſine, inquit Rex, & vnumquemque ſaluti ſuæ, quam quiuis tanti æſtimat, quanti & ego & vos meam æſtimatis, conſulere. Quid memorem alia? Magni quidem momenti negotia ſemel aggreſſus,nunquam deſeruit,metu vel terrore denunciati etiam periculi: ſententiam nunquam mutauit; obſtinatior alijs viſus, ſed virtutes eius expendentibus, fuit ſemper conſtans & inuictus. Quidni talis eſſet? qui non ſolum hoſtium, ſed quod pręſtantius meritò habetur, ſui ipſius ſemper victor extitit. Legimus, magnos Reges, & ſummos Imperatores, expugnatis victiſq. hoſtibus, per ſummum dedecus,libidini & intemperantię ſuccubuiſse. Dauid Rex, niſi adulterio domum alienam polluiſſet,ſine vlla exceptione ipſius Dei ore laudari potuerat. Ad Ticinum, ad Tharſimenum,ad Cannas, Hannibal toties Romanorum Victor; Capuanis mollioribus hybernis, concidit. Alexandrum Magnum, poſt deuictum orbem propè vniuerſum, Babylonicæ illecebræ occiderunt. Eandem ob cauſam amiſſa Regna,euerſa Imperia,exciſas Vrbes,nulla ætas fuit quæ non

vide-

Digitized by Google

viderit; nulla natio quæ triſti experimento non ſenſerit. Sed non ſenſit, regnante SIGISMVNDO, Polonia: purus caſtuſq.; & ab omni illecebra inconceſſæ voluptatis alienus, etiam iuuenis vixit: iuuenis inquam ætate & forma præſtantiſsimus, natu longè maioribus, puritatis caſtitatiſq. exemplo, præiuit: virgineus in Regio vultu nitor, in ſermone verecũdia, in omni actione ingenuus pudor, Ciuibus externiſq. eum admirandum & venerandum exhibebant. Facilius creſcit quàm inchoatur virtus. Summum fuit in SIGISMVNDO prima naſcentis crepundia caſtitati conſecraſſe, eo iacto fundamento, cætera creuerunt, & feliciſsimè adhæſerunt: caſto caſtiſsima obtigerunt matrimonia: rara ea proſperitas, & rarò viſa. Pudet paulò ante præteriti temporis; viderunt certè Patres noſtri ab Auguſta Domo, duas Reginas huc deductas infeliciter nupſiſſe. Vidimus nos eadem Familia ortas, Imperatorij ſanguinis duas Heroides, pias, pudicas, optimas, ſanctiſſimas, quæ non modò dum viuerent, admirationem quandam in animis noſtris excitarunt, ſed etiam tanta relicta prole, iam vita functæ, ſua fœcunditate, ne ampliùs dicam, vt meliùs ſperare in poſterum poſſimus effecerunt. Optimus Maritus SIGISMVNDVS: optimæ priori Vxori, par ſucceſſit ſecunda: eadem vtriq. virtus, eadem fœcunditas; idem erga Maritum amor, eadem obſeruantia: ex vtraque Vxore ſuſcepti Liberi, ita educati formatiq., vt eodem vtero editi videantur. Grandis hæc felicitas, & vix aliquando audita, è duobus Matrimonijs natos ita coaluiſſe, & ad commune decus promouendum conſpiraſſe; nullum æmulationis, nullum ambitus, niſi qui Fratri natu maiori ad Regnum aditum patefaceret, veſtigium. Quatuor Fratres ſummo & ipſi loco, digni Regis Filij, in frequentiſsimo Ordinum conſeſſu, in publico Electionis Conuentu, fratris cauſam egerunt, orarunt, imperaruntque. Tantam concordiam, tantumq. ad commune bonum conſenſum, vix vnquam vlla vidit ętas. Fateamur neceſſe eſt, bono Reipub. natos; nec grauem eſſe nobis hanc prolem, quae licet nume-

numeroſior videatur, quadã tamen ſincerae concordiae vnitate ita coaluit, vt omnes quales olim Geriones in Hiſpania fuiſſe nõ temerè antiquitas finxit, vna anima viuere exiſtimari poſſint. Horum virtuti quid vnquam arduum aut difficilè eſſe poterit? His Regna, his amplìſſima debentur Imperia: illorum patrocinio, illorum tutelae aliquando orbis vniuerſus, partam deuictis Barbaris ſalutem acceptam feret, & veluti monſtrorum domitoribus, honores aeternùm manſuros decernet. Sed nos paulò altiùs euecti vela contrahamus, & ad noſtrum redeamus SIGISMVNDVM, quem diuinitùs Reipubl. noſtrae datum, ſi quis & conditionem illorum temporum, & Interregni, quod Stephani Regis mortem ſubſecutum eſt, turbulentiſſimum ſtatum, animo diligentiùs expenderit, facilè agnoſcet. Vt caetera ſilentio praeteream, in ipſis Electionis noui Regis Comitijs, binae acies infeſtae ſibi; altera viribus ferocior, & externo milite ad opprimendam patriam conducto armata; altera cauſa melior, in campo ſteterunt: ſummum periculum erat, ne orbata tutore & Rege Patria, Ciuilibus armis diſcerperetur: aliquoties inſtructis exercitibus, iam iam congreſſuros, ſecreta quaedam fati vis, à mutuo exitio coërcuit. Candidati Regni vacantis, ex praecipuis Orbis Chriſtiani familijs comparebant; creſcebat in dies ambitus, ingentes commoditates & vtilitates, ijs qui Regnum ſibi deferri petebant promittentibus; pleriſq. etiam, heu dedecus patriae! qua ſpe, qua praemijs allectis, operam ſuam ad perniciem patriae externis Principibus pollicentibus. Leuiori manu SIGISMVNDI cauſa primò agebatur; & Legati eius, nam ita Pater mandauerat, materna potiùs iura repetebant, Electionis praerogatiua caeteris cedere, aut ſaltem non multum obniti videbantur: nullo fructu, & nulla propè ſpe felicioris ſucceſſus, conſilia tractabantur: vis & arma in Comitio valebant; homines pacis & concordiae cupidi, prodire in publicum, vel non poterant, vel non audebant. Non deerant quidem nonnulli, qui in SIGISMVNDVM propenderent:

Regina

Digitized by Google

Regina Anna eius Matertera, non obſcurè illi ſuffragabatur: Domus Iagellonicæ propè vltimus ſurculus, Magni SIGISMVNDI Primi nepos, Regis AVGVSTI Sorores natus, in ore omnium erat. Sed reputantibus alijs, quantum ille opis & auxilij, contra potentiſſimos competitores, quos bello & armis qualecunque ius ſuum vrſuros apparebat, eſſet allaturus; metus quidem obuerſabatur oculis, ne ſi iuuenem, adhuc nullis maioribus fultum viribus, Regem dicerent, aduerſariorum potentię ſuccumberent. *M*agnus ille Ioannis *Z*amoiſcij, *M*agni Cancellarij, & Exercituum Regni Supremi ducis animus, & mens tantę molis capax, rebus fluctuantibus ac penè perditis remedium attulit. Namque is ſuis, quas in vſum Reipubl. parauerat, aduerſariorumq. viribus ac copijs expenſis animaduertit, minima popularitatis & communis fauoris acceſſione, ijs qui externis freti auxilijs minabantur, vim intentabant, ſe ſi non ſuperiorem, certè parem futurum; eorumq. audaciam & remeritatem facilè repulſurum; inito cum Stanislao Karnkouio Archiep. Gneſnen. Regni Primate, cum quo cęteri Epiſcopi, vno aut altero excepto, idem ſentiebant, & cęteris Senatoribus, quibus temerarij aduerſariorum auſus diſplicebant, conſilio; ex omnium ſententia ab Archiep. Gneſnenſi, quem inter pręſidia ſua, ne vi armata ab inſtituto prohiberetur, receperat; more inſtitutoq. *M*aiorum, SIGISMVNDVM Regem renunciandum curat. Audito SIGISMVNDI nomine, noua quędam lux affulgerę viſa; pauere aduerſarij; aſſurgere animis ij, qui bonarum partium erant; vniuerſa expers factionum Nobilitas, ſuffragium huic vni deferre. Videres nuper inſeſſos milite campos, vexillis pacis & tranquillioris ſpei impleri; omnes nomen SIGISMVNDI occinere, omnes eius auſpicis inſigniri. Itum eſt Cracouiam, & hęc Vrbs in qua Reges Polonię auſpicato Imperia ordiri ſolent, iuſtis munita pręſidijs. Viueres etiam nunc Zamoſci, fatereris profectò, id quod ſępiùs teſtatus es, te in omnibus concertationibus in omnis pręlijs SIGIMVNDI

Regis

Regis fortuna fretum, pro Patria caput tuum omnibus obieciſſe periculis. Nondum illum videras, cùm Germanicas legiones Cracouię imminentes cecidiſti, reliquos in fugam egiſti, Vrbem Regiam obſidione ſoluiſti, SIGISMVNDO deide Cracouiam ingreſſo, & feliciter coronato, tu iterum cum exercitu profectus, Archiducem Maximiliannum, Imperatoris Romanorum Filium, Imperatoris Fratrem, in finibus Sileſiæ vires reparantem, & iam præter Germanos & Polonos, Hiſpanicis ac Hungaricis copijs auctum, ſupremumque exitium Patriæ minitantem, ad Byczynam aſſecutus, acri quidem & difficili, ſed felici tamen commiſſo prælio, viciſti, debellaſti. Archiducem ipſum, cum præcipuis quibuſque, magni nominis viris, deditione in SIGISMVNDI poteſtatem redegiſti. Longum eſſet recenſere omnia: per occaſionem attingam nonnulla. Quantæ molis erat eo tempore Regnum Poloniæ capeſſere, quæ domi foriſque imminebant pericula, animus ipſe meminiſſe horret. Vniuerſum Regnum in diuerſas ſciſſum factiones, iuuenili (nam SIGISMVNDVS cùm Rex legeretur vigeſimum primum ætatis annum agebat) conſilio reſtaurari, & tam diſſentientes voluntates Ciuium ad concordiam reduci poſſe, quis crederet? Iuuenis, vt dixi, erat SIGISMVNDVS, mores & inſtituta noſtra nondum nouerat; multorum conſilijs, dum ſibi quiſque ſtudet, diſtrahebatur: ſed inerat animo illius plus quàm humana prudentia, Rege Magno digna modeſtia, virginei pudoris decor, religio, pietas, Deo inprimis, tum & hominibus amabilem illum reddebant, omnibus eius actionibus, felices ac proſperos conciliabant ſucceſſus. Itaque intra vnius anni decurſum, & cum Sereniſſima Domo Auſtriaca, cum ſumma Regis & Regni dignitate transactum, dimiſſoque Archiduce Maximiliano, pax conſtituta, amicitia etiam perpetuò duratura ſancita, & ijs qui ad Auſtriacos fauorem in Electione flexerant, venia erroris,

Digitized by Google

Regis clementia, ac publico Comitiorum Regni decreto, data. Sic concordia, ſine qua Regna eſſe & ſtare non poſſunt, ſtabilito firmatoque Imperio, eam de ſe excitauit SIGISMVNDVS opinionem, vt ipſis initijs feliciſsimos Regiminis ſponderet ſucceſſus. Fruſtra minis, & bellico apparatu, terrere eum voluerat Turcarum Imperator Amurates III. Nam per Tartaros bellum orſus, mox expertus eſt, non cedere animo SIGISMVNDVM, ſed paratum eſſe, vel in ipſius hoſtis ditionibus, quærere hoſtem. Ceſſauit illa procella, & cæteri vicini ad pacis ſtudia animos flexerunt: pactæ cum Moſcho induciæ; firmata cum Turca pax: Suecia denique morte Ioannis Regis Patris iure ipſo naturæ & ſucceſſionis beneficio acceſſerat Imperio SIGISMVNDI: ritè inſtitutoq. maiorum Regni illius paterni & hæreditarij habenas capeſſiuerat, iuſiurandum à Suecis ſeruandæ fidei acceperat, pari Sacramento ſe eiſdem obſtrinxerat. Felix erat Suecia tali Rege, tali pace: ſed ambitio & Regni cupiditas corrupit omnia. Carolus, Regis Patruus, per eius abſentiam, primò leui manu attrectare cæpit clauum Regni: mox totum ad ſe traxit Imperium, per ſummam impietatem abdicato Nepote. Hinc bella in Liuonia, quam Carolus inuaſerat, orta; & per aliquot annos ſatis à noſtris feliciter geſta. Fugatus aliquoties Carolus; in Kircholmenſibus verò campis, virtute Caroli Chodkieuicij, Supremi pro Magno Ducatu Lithuaniæ copiarum Ducis, ita cæſus vt penè vniuerſo amiſſo exercitu, vix ipſe fuga euaſerit. Sed nihil acerbius SIGISMVNDO erat, quàm ſtrictos in ſua viſcera vertere mucrones; gentem in qua & ex qua natus eſt, alieno errore à ſe abductam, bello perſequi: itaque quantum potuit, quantumque illi licuit, à ſuprema vi abſtinuit. Hinc aduerſæ partis creuit audacia, & Carolus malè partum Regnum, filio ſuo Guſtauo, olim pœnas violati familiæ ſuæ domeſtici fœderis daturo, iniquè

poſſi-

poſſidendum reliquit. Cætera vt ſucceſſerint, vt in Liuonia, vt in Pruſsia, & quo euentu bellatum fuerit, res tanquam nuper geſta, hæret in recenti omnium memoria: & Guſtauum cladis aliquoties acceptæ, biſque ictu ſclopeti propè lethalibus vulneribus cruentati ſui corporis, putodum viueret non fuiſſe oblitum. Inuitus hæc commemoro, gratiora illa, & magis pleno prædicanda ore, quæ SIGISMVNDVS in vindicando iure Regni, ac interceptis ab hoſte Moſcho Prouincijs repetendis, ſumma cum laude feliciter geſſit. Gens feritate barbara, religione ſuperſtitioſa, fide ambigua, nec magis telis quàm ſuo cælo, ſuo ſidere armata, quæſitum Maiorum noſtrorum ſanguine Reipublicæ patrimonium, fraude & proditione interceptum inuaſerat. Non annos, ſed ſecula acceptæ immanis iniuriæ numerabamus; penitùs iam ea macula inſederat in animis noſtris: nec immeritò exiſtimabamur bellicæ laudis & decoris poſſeſſione, ceſsiſſe hoſtibus. Regis Stephani præclaros quidem & proſperos conatus, mors inopina interuerterat SIGISMVNDVM ne ſtatim à ſuſcepto Regno bellum aliquod ordiretur, quorundam nimium pacis amantium conſilia arcuerant, quanquam & ille eo ſemper eſſet animo, vt exiſtimaret Regium eſſe, nec prouocare bella, nec timere. Extincto per ſummum ſcelus tanti Imperij vnico reliquo hærede Demetrio, ſummam rei ad ſe traxerat Hodunus, homo in Moſchouia non magno loco natus. Fraus diu latere non potuit, extitit vltor ficti nomini Demetrius, ad cuius famam Hodunus ſcelere vecors, nefaria innoxij pueri caede pollutus, excidit Imperio. Nec impoſtoris diuturnum Regnum eſſe potuit, quamuis vt id ſtabiliret, quorundam Polonorum auxilijs niteretur. Pepigerat dum in Polonia eſſet *M*arinæ Georgij *M*niſzek, Palatini Sendomirien. Filiae nuptias, ſtatimque rerum in *M*oſchouia potitus, publico

Procerum, vt gentis mos eſt, conſenſu, expediuerat in Poloniam Legatos, qui & à Rege & à Patre ſponſam dari peterent, eamque in Moſchouiam honorificè deducerent, Regem ipſum, & pleroſque Proceres, ſponſae conſanguineos, ad nuptias inuitauerat. Rex per Legatos officio functus; reliqui eo profecti, magis ad nuptias, quàm ad bellum: neque enim aliqua fraudis ſubeſſe poterat ſuſpicio, publica fide, publico vniuerſae eius gentis adſenſu interpoſita. Vt rem in pauca contraham, in ipſis nuptialibus ſacris, *M*oſci authore Suiſcio conſpiratione facta, tumultuque excitato, illum ipſum Demetrium ſuo arbitratu ſtrangulant. Dicant ſanè ij iure à ſe factum Tyrannum impoſtoremque ſublatum. Sed quid innoxij meruerant hoſpites, in quos immani ſæuitum eſt cæde? Legati Regij, iure gentium ſacri, cur arcta & infami circumdati cuſtodia? Erat ea iuſta belli cauſa, & vltor poſcebatur, qui & atrociſſimæ vindex eſſet iniuriae, & iniquè ac nefariè à *M*oſchis vſurpata iura repeteret. Sed ne quid temerè aut inconſultò fieret, miſsi qui iniuriam nomini Polono factam; qui Legatos violatos quererentur; qui denique res & homines interceptos clarè repeterent. Hi quoque ſine honore habiti, & ſerò admodum dimiſsi: itaque quod iuſtis rationibus obtineri non potuit, bello & armis repetere viſum. Arx Smolenſeen. noſtri olim iuris, obſidione cincta, immiſſus in remotiores *M*oſchouiae Prouincias miles, cæſi hoſtiles exercitus, deditione in poteſtatem redactus Suiſcius, Regia ipſa Moſchouiæ Vrbs, milite Polono inſeſſa. Tu VLADISLAE PRINCEPS, omnium eius gentis conſenſu Rex & Imperator lectus dictuſque, in tuam fidem tota videbatur veniſſe Moſchouia, Smolenſcum denique captum: tam magni momenti, & tam præclaræ res biennio confectæ, & totus triumphatus Septentrio. Cur deinceps verſa retrò for-

tuna

tuna fuerit, fideſque parum fidæ gentis nutauerit, magis ſilere libet, quàm vulnera Reipublicae parum grata manu attrectare. Manet tamen, manebitque ſemper inclyta memoria clariſsimarum SIGISMVNDI Regis victoriarum, quibus & ius Regni aſſeruit & inolitam opinionem, quaſi eius gentis potentia nobis formidabilis eſſe poſſet, penitùs ex animis omnium exemit. Quid ego alia bella & prælia commemorem? cohercitam Niſouij militis ſæpius licentiam: octies aut ampliùs ſuſos fugatoſque excuſſa quam raptim egerant præda, Tartaros: Michaëlem Tranſyluaniæ Moldauięque Principem, multarum gentium victorem, qui Turcicę etiam potentiæ imminere, & formidandus eſſe videbatur, victum, & Moldauia exactum: Aaronem Valachia pulſum: Domui Mohilanę, in Valachia & Moldauia armis ius aſſertum? Hactenus quidem vis Turcarum ita illibata ſteterat, vt poſteaquam illi arma & Imperium in Europam tranſtuliſſent, in omnibus ijs prælijs, quibus ipſi eorum Ottomanica ſtirpe orti Imperatores pręfuerunt, ſemper victores euaſerint. Sigiſmundus Imperator, idemq. Hungariæ & Bohemiæ Rex, coniunctis cum Ioanne Duce Burgundiæ viribus, primus arma Turcica, maiori quàm vllus vnquam exercitu, ad Nicopolim irritare auſus, tam triſti pugnauit euentu, vt & Burgundus in poteſtatem barbari hoſtis venerit, & Imperator vniuerſo amiſſo exercitu, vix piſcatoria exceptus ſcapha, ignoratus quis eſſet, ſolis latebris tutus, turpi fuga euaſerit. VLADISLAVS IAGELLONIDES noſter, & Hungariæ Rex, ingentis animi iuuenis, proſpero quidem aliquoties ſucceſſu bella Turcica tractauit; ſed poſtremò Amurati Turcarum Imperatori ad Varnam congreſſus, etiamſi initio pugnæ barbarorum agmina cecidiſſet fugaſſetque, ipſeq. cum delecto Polonorum robore, in prima acie verſaretur, ac ipſum Amuratem voce & manu poſceret, & iam acinacem in eum ſtringeret, concurſu prętoriani militis oppreſſus, iam penè victor, &

BIBLIOTECA N. ROMA

in ipſa victoria Regium effudit ſpiritum. Solimanus in campis *M*ohacenſibus, Ludouico Rege Hungarię cęſo, ſepties circiter fortunam belli cum potentiſſima Domo Auſtriaca, quę ſtatim à morte Ludouici, poſſeſſionem Regni Hungarię adire contendit, experiri voluit: ſed nec Buda intercepta, nec Vienna obſidione cincta, nec deleti aliquoties Germanorum & Hungariæ Reges, qui viuente Solimano vixerunt, vt in campum & aciem deſcenderent, vt pugnę copiam facerent. Noſtra memoria Archidux *M*aximilianus, Rodulphi Imperatoris, Fratris ſui auſpicijs, & trium Exercituum, Germanici, Hungarici, & Tranſyluanici, virtute ac robore fretus, cum *M*ahumeto III. qui paulò ante Agrienſem Arcem, hactenus inexpugnabilem creditam, vi expugnauerat & ceperat, ad Chereſteſſum ſigna conferre auſus, iam viciſſe videbatur, niſi Tartarorum audacia circumuenti Chriſtiani milites, cùm ſe & à tergo & à fronte peti, cędiq. viderent, ſolutis ordinibus, loco moti, hoſti victoriam conceſſiſſent. Scilicet non erat in fatis, vt gloriā victi aut coherciti Turcarum Imperatoris quiſquam alius delibaret: integra & ſolida SIGISMVNDO Regi Polonię ſeruabatur. Tu quoque VLADISLAE Princeps arcano Dei decreto deſtinabaris, vt in partem huius glorię & fortunę venires. Nunquam certè maiori vi vniuerſa barbaries conſpirauerat in perniciem rei Chriſtianę. Iuuenis admodum Princeps, & odio fidei Chriſtianæ, & immenſa glorię cupiditate incenſus præcipiti ambitione ferebatur, in eamq. venerat opinionem, vt primo impetu ſe nomen Polonorum deleturum arbitraretur. Somniabat deinceps alia Regna, alia Imperia, & Polonia armis in ſuam redacta poteſtatem, nullos Europę angulos, nullos receſſus ſibi non peruios, nullam Vrbem, nullam Arcem, nullum munimentum ſuis viribus non ceſſurum rebatur. Ea impotentis & ferocis animi audacia elatus, ad Europęi militis quem ex omnibus Prouincijs & pręſidijs euocauerat, experta maiorum ſuorum bellis robora, Aſiaticos,
Afri-

Africanoſq.exercitus adſciuerat: quadringenta equitum peditumq. millia numerabantur. Aderat Tartarorum Imperator, centum viginti millibus comitatus, & ad longè latèq. ſpargendam vaſtitatem, incendia & cædes miſcendas, inſtructus paratuſque. Tres integros annos ad parandum bellum aula Turcica impenderat: nulla alia tanto temporis ſpacio Purpuratos Oſmanicos magis cura torſerat, niſi vt quiſque paratiſſimus compareret: tanta armorum copia, is belli apparatus, tot maiora ad quatiendos muros, tot minora ad campeſtrem ſtragem edendam ænea tormenta, in exercitu erant, vt ſi quis ea recenſere vellet, fidem eorum qui hęc non viderunt exceſſurus putaretur. Tantę moli impendentis grauiſſimi belli quid opponeret SIGISMVNDVS, aut quam opem imploraret, quem in ſocietatem periculi adſciſceret? Aeſtimantibus certè eius temporis Reipubl. Chriſtianæ ſtatum, ingens quidē ſummi exitij diſcrimen apparebat: ſpes verò proſperioris ſucceſſus nulla affulgebat. Summus Pontifex, Preces & Vota, ſub quorum patrocinio tuto conſtitit, ſalus noſtra libenter deferebat. Ferdinandus Imperator domeſtico implicatus bello, de ſumma rei in certamen trahebatur: vniuerſa Domus Auſtriacæ potentia nutare videbatur. Galliæ Rex, cuius inuicti Maiores militaris gloriæ decus potiſsimum bellis Aſiaticis nomini Gallico, & poſteritati ſuę parauerant: nihil bella aut pericula Turcica ad ſe pertinere aiebat. Hiſpanum res Auſtriacæ Domus in Germania minus ſecundæ diſtrahebant. Archidux Auſtriæ Albertus, pro Rege Hiſpaniæ in Belgio ſumma cum poteſtate Gubernator, in ipſo vitæ exitu, quantum Reipubl. Chriſtianæ cuperet, quantopere communi periculo commoueretur, luculenta animi teſtificatione declarabat, & ſe ea omnia quæ in ſua eſſent manu facturum oſtendebat. Reliquorum Principum Catholicorum fauor in aperto, ſubſidia in obſcuro, vel nulla, apparebant. Ex ijs qui de religione Chriſtiana, aliter quàm Orthodoxa & vniuerſalis Eccleſia Romana docet,

ſentiunt; ſolus Sereniſs. Iacobus Magnus Britaniæ Rex, vidit periclitante Polonia vniuerſam Rempubl. Chriſtianam in ſummum venire periculum; ſolus ad ferendam opem, ſtudium operamque ſuam detulit: ſolus peditum lectiſſimorum cohortes, in ſuo Regno conſcriptas, & ſuo ſtipendio auctoritas mari expediuit; & veniſſet ea manus ſatis oportunè, niſi in portibus Danicis fuiſſet retenta. Reliqui omnes eius ſectæ Principes, gauiſuri etiam interitu noſtro credebantur. Guſtauus certè Suecorum Rex, nō aliter ac ſi crudeliſſimi Turcarum Tyranni iuraturus ſatelles, ac Mahumeticæ impietatis promotor eſſet, tum vel maximè nos oppugnabat, nobiſq. perniciem & ſeruitutem à ceruicibus Chriſtianorum arcentibus & amoliētibus: ille per eam occaſionem Rigam, totius Liuoniæ Ciuitatem primariam, & portu nobilem, expugnabat; Liuoniam iuris noſtri Prouinciam, cæde & incendijs vaſtabat. Nihil dico quo in ſtatu tum res noſtrę eſſent, accepta ſuperiori anno in Valachia clades, alter è Ducibus captus, cęſus alter, veterani militis flos & robur vno prælio concidiſſe videbatur. Quis non attonitus ſtuperet, SIGISMVNDVM Regem, ſola Diuini auxilij fiducia fretum, neque tantis quæ imminebant periculis, vel motum, vel territum, ſed maiora quàm quiſquam ſuſpicari poſſet auſum, Heroici animi magnitudine, hoſtibus perniciem, Patriæ ſalutem, ſibi immortale decus, peperiſſe. Summa celeritate ſcripti paratiq. exercitus, non ij quidem à quibus victoria ſperari poſſet, ſed qui potentiſsimi hoſtis ferociam morarentur: & ille Bizantio profectus, adeò celeri curſu difficillima Thraciæ itinera ſuperauit, vt longè citiùs, quàm ſperari potuerat, traiecto Iſtro, in ipſa conſtiterit Valachia; mox viribus cum Tartaro coniunctis, pari celeritate ad fines Poloniæ properauerit. Sed iam Chodkieuicius, cui ſumma rei commiſſa fuit, iam Stanislaus Lubomirſcius, Polonicarum copiarum ductor, ambo magni viri, ambo bellicis facinoribus illuſtres, fines quibus Valachia à Polonia diuiditur, tranſgreſsi, in hoſtico

ſtico ad Chocimum, audaci ſed felici conſilio Caſtra poſue-
rant. Tu quoque Sereniſsime Rex, paulò poſt Paternorum
tuorumq. quibus te ſuperni fauores circumdabāt, auſpiciorum
felicitatem Caſtris,eo à Patre miſſus, intuleras, omnium in te
oculos conuerteras, animos feſſis, & de euentu ſollicitis addi-
deras, hoſti qui te veniſſe ſtatim ſenſit, metum incuſſeras.
Interea dum Pater maiori vi bellum molitur, totiuſq. Regni
robore excito, vniuerſam in aciem ducit Poloniam: res Tuo
ductu, Tua felicitate præclarè geſta; infeſtatæ diurnis no-
cturniſq. incurſionibus Turcicæ ſtationes, ſępius hoſtis iuſta
acie fuſus,ſæpiſsimè ab oppugnatione Caſtrorum,cum ingen-
ti clade reiectus,cùm ſemper deteriori conditione ſuos intra
munitiones reciperet,poſtquam SIGISMVNDVM propè iam
adeſſe intellexit,ſpem quam capiendæ expugnandæq. & in
ſuam poteſtatem redigendæ Poloniæ conceperat, depoſuit.
Videbat ſupra ſexaginta millia ſuorum militum, qui cęteris
audentiores fortioreſq. putabantur, ferro cæſa; longè maio-
rem numerum belli & temporis incommodis abſumptum; iu-
menta omnia corrupta; ſtratos hominum equorumq. cadaue-
ribus campos: Denique venire SIGISMVNDVM feliciſſi-
mum magnorum bellorum confectorem, ſe victum faſſus, irri-
toſq. ſuos conatus, quod nulli vnquam Turcarum Imperatori
accidit,deplorans: conditiones quibus bellum finiretur,acce-
pit; prior Caſtra mouit, vt noſtris ſigna victricia & arma te-
nentibus, tergo abeuntis, & impedimenta deſerentis hoſtis,
glorioſè illudere licuerit. Sint, vt fortaſſe non deſunt, qui
partæ eo bello glorię detrahant; qui virtuti SIGISMVNDI
Regis obmuſſitent; prodeant, & aliquem vnum Chriſtianum
Principem, vel Imperatorem proferant; qui Turcicas vires
tam audacter fregerit; qui ab aditu Regni ferocem Tyrannum
tam feliciter arcuerit; qui ne vnico quidem terræ palmo, eum
qui ſemper,vel integra Regna, vel munitiſſimas Arces, expu-
gnare & intercipere ſolitus fuit, ditionum ſuarum potiri per-
miſe-

Digitized by Google

miſerit; qui hoſtem vincere aſſuetum, vinci poſſe tam proſpero ſucceſſu docuerit; qui denique tot barbarorum millibus deletis Turcarum,, victoris titulum magis verè vſurpare poſſit. Dixi paulò ante, hoc decus SIGISMVNDI Regis, & nemini alteri commune eſſe & fore: dico iterum eandem deuicti Orientis laudis hæreditatem inclyto eius ſanguini debeti, ad cuius nomen vniuerſa horret barbaries, quibuſdam, ijſq. non obſcuris, coniecturis ſibi inde exitium imminere proſpiciens. Sed quid agimus? obliti videmur præſentium, rimati futura? Reuocat nos ad ſe SIGISMVNDVS Rex, triſti quidem & lugubri funeris ſui pompa; pares animorum affectus meritò à nobis exigens; cæterum morte felici, & bonis omnibus exoptando exitu mentes noſtras exhilarans. Nam vt nullus vnquam hoſtis vidit SIGISMVNDVM, dum vixit, vel periculo pauentem, vel ſupplicem; ita & ipſa ſupremi fati neceſsitas, promptum paratumq. eum reperit ad parendum Diuinę voluntati. Iam penè corporis vires omnes conciderant, iam inualeſcente vi morbi hebetati ſenſus ęgrè ſua munia obibant; viuidę tamen mentis, vigor idem erat; ſermo nullus niſi cum Deo, aut de Deo; vultus ſecurę & innoxię mentis teſtis; totius corporis honeſtiſſima compoſitio, nullo mortis metu eum terreri, nullis dolorum acerbitatibus vinci & frangi, teſtabatur. Sic ceſſit è vita, vt ij qui ab exilio redeunt in Patriam, lætus hilariſque. Semper quidem, dum vixit, toto animi conatu contendit, vt in hunc ſupremi exitùs caſum paratus eſſet: caeterùm cùm eum imminere ſentiret, nullos alios vel libentiùs vidit, vel faciliùs admiſit, quàm eos quibus cum vitae & ſalutis ſuae rationes conferre ſolcba: has quoque moriens ita acuratè expendit, vt ſi Chriſtianae modeſtiae immemor foret, liberè dicere potuiſſet, quod olim Titus Veſpaſiani filius, ſe nullius ſceleris conſcium cedere è vita. Nos certè id de eo credere conuenit: namque Chriſtiano ritu, vt S. Ambroſius ſcribit, decedentibus, optima voluntas & deſiderium ſufficit.

Ambr. in obit. Valent.

Habet

Habet gratiam Valentinianus,vel nos dicamus SIGISMVN-
DVS, quam deſiderauit; habet qnod popoſcit, certè quia
popoſcit accepit. Nullius itaq. errati, quod non lachrymis
eluiſſet, cuius veniam à conditore ſuo non popoſciſſet SI-
GISMVNDVS ſibi conſcius, ceſſit vita. Proſequamur illum
iiſdem votis, quibus S. Ambroſius Valentinianum ſuum, ſi *De obit.*
quid Orationes noſtrae valebunt SIGISMVNDE, nulla dies *Valent.*
ſilentio te præteribit: nulla inhonoratum te noſtra tranſibit
Oratio: nulla nox non donatum te aliqua precum noſtrarum
contextione tranſcurret: omnibus te oblationibus frequenta-
bimus; ſi non meminerimns tui, obliuioni detur dextera no-
ſtra; adhæreat lingua faucibus noſtris, ſi non præpoſuerimus
te in principio lælitiæ noſtræ. Hos arbitror eſſe omnium ve-
ſtrum ſenſus, idem cunctos tacitis vouere ſuſpirijs. De me
quid dicam? Angit me priuatus meus dolor: eſſe deſijt is,
quo viuente viuere caepi; quo authore, id quidquid in me
dignitatis eſt, conſecutus ſum. Patere ſanctiſsime REX, vt
exemplo magni Ambroſij, cum Theodoſio ſuo iam vita fun-
cto ſermonem miſcentis, ijdem verbis nobis vti liceat. Dile- *Ambr. de obit.*
ximus virum miſericordem, humilem imperio, corde puro & *Theod.*
pectore manſueto præditum. Dileximus virum, non ſibi ſed
Reipublicæ natum Catholicæ Religionis decus, Patriae no-
ſtrae ornamentum, nullo vnquam periculo magnoperè com-
motum in ipſo vitæ exitu mortis victorem. Dileximus virum,
qui cùm iam corpore ſolueretur, magis de ſtatu Eccleſiarum,
quàm de ſuis periculis angeretur. Aderant præſentes Liberi,
digna tanto Rege Proles, genus alto à ſanguine Cæſarum,
Regum: & quidquid in toto Chriſtiano orbe ſummae digni-
tatis ſplendore fulget, quidquid illuſtres Familias ſublimiori-
bus titulis decorat ac nobilitat; horum inquam ſanguine Vos
Sereniſsimi PRINCIPES progeniti,adfuiſtis morienti Patri:
omnium Veſtrum lachrymis compoſitus eſt; nihil quod illi
deeſſet, nouiſſima in luce deſiderauere oculi eius. Semper
quidem

quidem ille pia & paterna dabat documenta Vobis rectè viuendi: ſed tam præclaro vitæ exitu, quid aliud egit, quiduè in votis habuit, niſi vt ſui, virtutumq; ſuarum memoriam pectoribus veſtris insereret; vt quibus vitæ mortalis author eſſet, eoſdem pareret Chriſto, immortalitati conſecraret, cœlo insereret. Non eſt quod externa exempla multum requiratis: Sacræ illę Maieſtates, Parentes veſtri, Vobis ad capeſſendam Regiarum virtutum viam, ad parandum ſummum decus ductores ſunt, eruntq. optimi: non aberrabitis, ſi eorum veſtigijs inſiſtere volueritis, & porrò velle debetis. id à vobis SIGISMVNDVS, ANNA, & CONSTANTIA, REX, & REGINAE, iam cœlo receptę mentes, & nunquam perituri Regni Reges & Hęredes, Patris depoſcunt iure, quorum ipſa nomina quid aliud deſignant, niſi pietatem, religionem, ſincerum Dei cultum, Eccleſię Cathoiicę & Sacerdotalis ordinis patrocinium, Sedis Apoſtolicę venerationem, Ciuium amorem, pauperum ſolatium, caſtitatem, pudicitiam, temperantiam, animi magnitudinem, iuſtitiam, & cunctarum virtutum complementum. Quod illi fuerunt, vt vos quoque ſitis, omni conatu eniti & contendere debetis, vt idem decus, eadem poſt ſera fata vos maneat gloria. Tu inprimis Sereniſsime REX VLADISLAE, quem & ętatis, & dignitatis prętogatiua, cęteris altiùs extulit, quem Orbis Chriſtianus Regio decoratum honore ſuſpicit ac veneratur: non ſolùm promptè ibis per veſtigia Patris tui, verùmetiam eadem tecum ortos familia, & fauſtis nutritos ſub penetralibus; hos inquam, quos & naturę lex, & magni Patris voluntas,& Reipubl· quę ſe ſuoſq. tibi vni addicit, tuam reuereri & comiter colere Maieſtatem ſuadet, exemplo tuo duces ad culmen veri decoris. Tibi vni hoc onus ferendum eſt; in te Domus hæc Regia inclinata recumbit;id & Sacrati Parentum manes, & Reſpublica à te flagitat; id denique fraternus poſcit amor. Felix ſanè & beata te Rege Polonia Lituaniaque.

Ad

Digitized by Google

Ad prima tua auſpicia, & vt primum Vota omnium in Te vnum flecti cœperunt, quanta rerum conuerſio? quanta ſpes affulſit melioris æui? Pax publica priuataq. longo ab interuallo reuiruit; aurę peſtiferę lues extincta; priſca agrorum fertilitas redijt. Nihil dico, quanto ſtudio ad Te REGEM dicendum omnes Ordines incubuerint, vt nemo qui non te poſceret, in te ſpem Patriæ non reponeret, fuerit; vt magni viri priuata odia, priuatas lites, mox in perniciem multorum erupturas, tuo iudicio permittere non renuerint; & tu prudens felixq. arbiter, vno eodemq. temporis momento, multum inter ſe diſcordes & diſſentientes, ita conciliabas vt deinceps ſtabili & ſincera amicitia redintegrata, priuata odia ad amorem Reipublicę transferrent. Pręclara hęc ſunt initia orientis Imperij tui, cuius nullum fortius eſt ſtabilimentum Ciuium amore: in cuius poſſeſſionem ita illaberis, vt nemo ſit qui te in dies non magis diligat, & non plus ſe tibi, ob pręſtantia tua in Rempubl. merita debere libens volenſq. profiteatur. Sed Tuę virtutes aliud tempus, aliam poſcunt occaſionem, magis diſerta oratione & facundiori prędicandę ore. Nunc ego dicendi finem facturus, non aberraturum me puto, ſi verbis Diui Ambroſij SIGISMVNDVM REGEM *M*agno Theodoſio, vel parem, vel certè ſi recta lance virtutes vtriuſque examinentur ſuperiorem, terrę iam mandandum, non ſolùm pio proſequar ſermone, verùmetiam religioſis deſiderijs & votis, ſupremum ſanctæ illius animę officium impendam. Conteritur cor meum, quia ereptus eſt vir, qualem vix poſſumus inuenire: ſed tamen tu ſolus Domine inuocandus es; tu rogandus; vt eum in filijs repræſentes; tu Domine, cuſtodiens etiam paruulos, in hac humilitate ſaluos facito ſperantes in te. Da requiem perfectam ſeruo tuo SIGISMVNDO, requiem illam, quam pręparaſti Sanctis tuis: illò conuertatur anima eius vnde deſcendit, vbi mortis aculeum ſentire non poſsit; vbi cognoſcat mortem hanc, non

Ambr. de obit. Theod.

naturę

Digitized by Google

naturę finem eſſe ſed culpę: quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt, vt iam peccato locus eſſe non poſsit. Proſequamur eum vſque ad regionem viuorum, nec deſeramus, donec fletu & precibus inducamus eum, quo ſua illum vocant merita, in montem Domini ſanctum, vbi perennis vita, vbi corruptellę nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla conſortia mortuorum, vera religio viuentium, vbi mortale hoc induat immortalitatem, corruptibile hoc incorruptibilitatem

DIXI.

ORA-

ORATIO
In Funere
SIGISMVNDI III.
POLONIAE, ET SVECIAE
REGIS, &c.

Dicta

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. in Chriſto P.

D. STANISLAO LVBIENSKI
EPISCOPO PLOCENSI.

IMMORTALITATEM mortè parari non temerè credidit veri indagandi ſagax antiquitas; fruſtra queri genus humanum, quod breuis æui ſit, magni viri magnis conuicere experimentis: celeriorem eſſe virtutis curſum, quàm vt longo opus habeat æuo, vſu diſcimus. Nullum, cuius virtus maturuit, immatura morte extingui, vita functos viuere, veræ ſolidæq. virtuti æternitatem deberi, animum cui illa tanquam ſuo prin-

Digitized by Google

principio adfixa eſt, nunquàm interire, & Catholica veritas certa fide tenet, & Diuinæ humanæq. loquuntur literæ. Ecce luculentum eius rei conſpicimus documentum. SIGISMVNDVS Poloniarum & Suecorum, Gottorumque Rex Inuictiſsimus; ſi vitam eius ad naturæ leges reuocauerimus; ſi conditionem qua natus eſt expenderimus; æſtimari poſſet, eſſe quaſi non eſſet: lex quippe æterna iuſsit, orta vt intereant, nata vt moriantur. Sed Hæroicæ tanti Regis virtutes, longè à neceſsitate fati, à lege mortalitatis remotæ, viuunt vigentque, in memoria hominum fixæ & ſculptæ cæloq. ipſi, vbi immortalitatis quædam ſedes eſt, inſertæ. Vixit ille vitam, qua perpetuò duratura propagatur immortalitas: æuo breui confecit curſum, per quem aditur ęternitas: cęlum non vetita petijt via, ſed per arduum magnarum virtutum iter conſcendit, effecitq. ne & breuis ęui fuiſſe dici poſsit, & morte immortalitatem conſecutus, qui nunc fato functus conſpicitur, vita viuat vitali. Magna res eſt priſca nobilitatis ſplendeſcere gloria, Auos Atauoſq. numerare Reges, & longo Imperatorum cenſeri ſanguine, oſtentare Maiorum ſtemmata bellicis parta facinoribus, ijs ortum eſſe progenitoribus, quorum ſalute ſtetit vniuerſi orbis ſalus, ſub quorum tutela nunquam publica nutauit felicitas. Ponamus nobis ante oculos Gotticę gentis, cum qua nobis ſi prima domus repetatur origo, idem genus eſt, multis ſeculis res præclarè geſtas, & ne plura commemorem, Romanum domitum euerſumq. Imperium: huic SIGISMVNDVS Rex Paterni Auitiq. Magnorum, Potentiſsimorumq. Regum, Regij ſanguinis & generis debet primordia. IAGELLONICA ſtirps clara, ſi quę alia, vel rebus geſtis, vel generis ac ſanguinis, per omnes orbis Chriſtiani Regias Familias affinitatibus partiti fęnore, vel quod nunquam vitę in bellis contra barbaros geſtis pepercerit, quod duos ſui ſanguinis Reges, Vladislaum ad Varnam, Ludouicum ad Mochacium Turcarum

Digitized by Google

rum rabiem, ab exitio orbis Chriſtiani arcentes ſaluti publicæ impenderit, & nominis ſui ſplendore aliquot ſecula illuſtrarit: Hac CATHERINA IOANNI Regi Sueciæ nupta, SIGISMVNDI Regis mater edita eſt. Clara & conſpicua ſemper eſt habita, inclytæ Sfortiadum Familiæ gloria, illuſtribus propagata affinitatibus, magnificis exornata triumphis. Bona Sfortia Alphonſi Regis Aragoniç Filia genita, Sigiſmundi Primi Coniux, SIGISMVNDI noſtri Auia materna, inde genus traxit. Parte alia Auſtriaci nominis ſplẽdor, cuius radij anguſtis Europæ, Aſiæ, & Africæ, angulis contineri cùm non poſſent, ad ignotos vſque Antipodum, & alterius orbis receſſus penetrarunt, ita fulget, vt cæteras omnes ſua magnitudine obſcuret familias; ſi Reges, Imperatoreſque, ea profectos recenſere liberet, nimis longa texenda eſſet narratio. Sol nuſquam vel oritur, vel occidit, quin Auſtriacum conſpiciat, & quaſi ſecum circumferat imperium. Albertus II. Romanorum Imperator, Sigiſmundi Primi maternus Auus, SIGISMVNDI quoque noſtri, cuius ille ex filia Nepos, generis eſt author & ſanguinis. Nõ noſtra hęc eſſe, dicet aliquis? fatemur vltrò: ſed quotuſquiſque eſt, qui tantis nominibus ſui ortus debeat exordia; qui tot clareſcat imaginibus, tot fulgeat ſtemmatibus! Illud proprium SIGISMVNDI, naſci in Regno Hæretico, Patre hæretico: nunquam tamen vel modica erroris labe infici; pietatis & religionis ſtudio, cæteris exemplo eſſe; iuueniles luſus ſenili grauitate temperare; ab omni quæ corporis & mentis puritatem fœdaret contagione alienum gerere animum, ad præclaros quoſque auſus ſuſcipiendos, in ipſis pueritię crepundijs accendi; longè lateq. magni Principis de ſe ſpargere famam, remotos etiam populos ad amorem admirationemq. ſui allicere. Horret animus, meminiſſe tamen iuuat, quo in ſtatu, ſecundùm mortem Stephani Regis; res noſtræ fuerint: nihil pacati, nihil quod ad ſedandas Ciuiles diſſenſiones pertineret, au-

 dieba-

Digitized by Google

diebatur: vbiq. arma, vbique Martius furor inualeſcebat; miles in conſilio, miles in Comitio; primas tenebat partes: nullus erat qui pacem ſuaderet, qui infenſos, & in mutuam perniciem accenſos, animos componere vellet; quod ſi quis meliora ſuaſurus compareret, parum aberat, quin ab ijs qui ſuam & patriæ, heu dedecus, ſeruitutem externis Principibus addixerant, hoſtis patriæ iudicaretur. Pereundum nobis fuit, niſi ijs, qui partes Reipublicæ tutabantur, eam mentem inſpiraſſet Deus, Regem vt SIGISMVNDVM dicerent: ad eius adhuc abſentis, ſatiſq. adhuc inualidi nominis famam, & bonis Ciuibus creuit animus, & eorum, qui externa potentia freti, aliò flexerant ſtudia, ſpes labare cœperunt. Venit SIGISMVNDVS exiguo, aut ferè nullo, militum robore cinctus, ſed Diuino munitus præſidio: Vrbem hanc ab hoſte obſidione cinctam, per medias & infeſtas inimicorum acies petijt, Deo duce, Deo authore, eluſis hoſtium quæ iter facienti frequenter ſtruebantur inſidijs, eò quò intenderat peruenit; cùm paulò ante eius auſpicijs Ioannes Zamoſcius, quem felici quodam Reipublicæ fato natum credere par eſt, vt extaret feræ poſteritati perfectiſsimum exemplar amantis patriæ Ciuis, fortiſsimi & feliciſsimi belli Ducis, prudentis Senatoris, re præclarè geſta, hoſtem acie victum ſoluere obſidionem, ac in tutiora loca ſe recipere coëgiſſet. Deus immortalis! qui dies ille, quàm lætus, quàm certus futuræ ſponſor felicitatis! cùm SIGISMVNDVS, tàm potentis hoſtis victor, hanc Vrbem inueheretur, cùm arcus triumphales; cùm Statuæ eius nomini ſacratæ figerentur; cùm portę Vrbis; cùm priuatæ publicæq. ędes ignibus collucerent; cùm miles, cùm populus concordi voce felicitatem, proſperitatem, ac Imperij diuturnitatem, ei comprecaretur; cùm denique Regium SIGISMVNDI caput ſacro cingeretur diademate, Summo Antiſtite Staniſlao Karnkouio Archiepiſcopo Gneſnenſi, notæ ſanctitatis viro, Preces & Vota concipiente,

eadem

Digitized by Google

eademque non irrito euentu ad ſacras fundente Diuorum aras. Ab hoc orientis Imperij exordio, tot annorum, quibus SIGISMVNDVS ſummam rerum tenuit, quaſi continuus quidam torrens perpetuæ fluxit felicitatis. Archidux Maximilianus, cùm mala quorundam ambitione ad repetendum Regnum traheretur, exactus Regni finibus, acieq. victus, deditione in Regis venit poteſtatem: intra vnius anni decurſum, & Reſpubl. domi pacata, & cum Sereniſsima Domo Auſtriaca tranſactum; pax & fœdera cum externis inita Principibus. Cæteris quidem Regibus ratio regnandi etſi difficilis, non tamen adeò ardua videri debet: nam & pacem colere ſuo arbitratu, & dum libet bellum ordiri in eorum poteſtate ſitum eſt; nobis vix vnquam licet eſſe quietis. Nam vt alios, quibus circumambimur hoſtes taceam: quæ fides Moſcho? quæ fides Tartaro? quæ fides Turcæ eſſe poteſt? vix non eadem hora pacem pollicentur, amicitiam ſpondent, fœdera ſanciunt; mox infeſtis agminibus percurſant campos, cædes & incendia ſpargunt, cultis regionibus vaſtitatem inferunt, fidem datam, non ad iuriſiurandi religionem, ſed ad ſuum commodum, occaſionemque rei gerendæ referunt. Itaque Reges Poloniæ ſemper inuigilare, ſemper in armis eſſe oportet, eò felices, quòd nunquam illis deſit materia benè merendi de Republica Chriſtiana, parandæ immenſæ gloriæ, & ſi ea eſſet ambitio, iuſto & legitimo bello proferendi Imperij. Domus Ottomanicæ Turcarum arma iam propè quadringentis annis, vt taceam veteres Saracenorum in Aſia, Africa, & Europa ferociſsimos auſus, inualuere: bina Orientis Imperia, ab hac peſte ſub iugum miſſa, vniuerſus Oriens turpi Mahometicæ ſectæ dogmate fœdatus, duram ſeruit ſeruitutem. Acceſsit Thracia, Græcia, Macedonia, Illiricus, Mæſia, & magna pars aurei quondam fructus feracis Hungariæ. Fruſtra Reges, fruſtra Europæi Imperatores, translata in Græciam arma Turcica

Digitized by Google

armis ſiſtere voluerunt: quotieſcunque fortunam & Martis aleam experiri contigit, aut victi & caeſi, aut victis non diſsimiles abierunt. Primus omnium SIGISMVNDVS noſter, quadraginta abhinc annis Amurato III. vim finibus Regni admouenti, arma feliciter oſtentauit, & deſiſtere cæpto coegit. His proximis annis Ottomanus, ſçuus & audax, idemque gloriç auidus, iuuenis, excita & armata vniuerſa barbarie, in ſocietatem belli aſſumpto, quod hactenus vix vnquam factum fuerat, Tartarorum Chamo, (ita illis ſummum eius gentis Imperatorem appellare mos eſt) totis viribus in nos incubuit: nunquam Europa tam numeroſos vidit exercitus; nullus Regum tam ingentem bellici inſtrumenti apparatum ſecum in aciem duxit; ipſo nominis ſui terrore, barbarus Princeps ſe omnia conſecuturum ſatis ſuperbè ſperabat. Fruſtra; namque iam olim in fatis erat, vt coerciti Turcarum Imperatoris gloria ſeruaretur SIGISMVNDO, & Regiç eius Domui: vt tu quoque Sereniſsime Rex VLADISLAE, qui Caſtris hoſti oppoſitis, & Patris, & Tua auſpicia eo intuleras, in partem maximi venires triumphi. Hoſtis certè ſua etiam confeſsione victus, magna parte exercitus amiſſa, nullo parto decore, domum redijt ingloruis. Moſchorum vires, Maioribus etiam noſtris formidabiles, quis vnquam ſperare, aut cogitare potuit, cuiuſquam potentiæ ſuccubituras? Ceſſere ex SIGISMVNDI armis, qui iuſto ſuſcepto bello, bienniqué labore Smolenſcum expugnauit; Vrbem ipſam caput Regni Moſchouiam, Baſilium Suiſcium tanti Imperij ſumma cum poteſtate moderatorem, eiuſque fratres deditione in poteſtatem redegit; denique Moſchos datæ fidei, qua ſe tibi Sereniſsime Rex VLADISLAE obſtrinxerunt, oblitos & rebelles, iterum à Te armis perdomitos, ea parte Imperij, quam illi quondam à Regno, & Mag. Ducat. Lithuaniç, fraude auulſerant, mulctatos,

pacis

pacis conditiones arbitratu ſuo latas, acceptare coëgit. Gens quidem illa Parentis Tui, & Tuis Sereniſſime Rex VLADISLAE, armis toties coërcita, non aliam ob cauſam violatis iuratis fœderibus arma ſumpſit, niſi vt tuam augeret gloriam, vt prima initia Imperij Tui felici (quem vouemus) ſucceſſu belli illuſtraret, conſecraretque. Neque verò his tantum triumphis clarum & conſpicuum eſſe voluerunt fata SIGISMVNDVM Regem. Tartari, durum in armis genus, ad vaſtitatem inferendam, ad prædas agendas, vſu & natura facta gens, feritate barbara, immanitate crudelis, multitudine infinita, fide nulla, ſuperioribus ſeculis tantam cladem finibus Regni intulerat, vt exciſis funditùs Oppidis, & colonis partim cæſis, partim in triſtem abductis ſeruitutem, ingentes campos, olim cultos habitatoſque, omni cultore & habitatore vacuos fecerint. Serpebat hoc malum in dies, & populationem hoſte promouente, ſemper ex ditionibus noſtris aliquid decedebat; nec quiſquam erat, qui Tartarum lato apertoq. campo, per ſuas turmas aciem ſtruentem vinci poſſe crederet: nam celeri curſu & recurſu pugnam ciere aſſuetus, incertum fugiens, an cominùs arma ſtringens, maiorem inferat perniciem; victus ſæpè, victorem ſternit humi; & dum minimè timetur, terrorem infert, potiturq. victoria. Hanc tam immanis hoſtis vincendi, aut ſaltem impunè graſſandi, conſuetudinem coërcuit animosè SIGISMVNDVS Rex, obiectis hoſti nouis colonijs, & munitis frequentiſſimis Oppidis. Quod quidem inſignis prudentiæ fuit, ſine cæde & & ſanguine munire Imperium, tueri fines, propulſare barbarorum impetus. Illud verò felicitatinè, an virtuti imputandum, nullo vnquam Rege Poloniæ, Tartarum pugna campeſtri toties fuſum fugatumque, nunquam tot proſperis experimentis probatum, vagum licet hoſtem teneri & vinci poſſe; interdum etiam ita acie in ordinem redigi, ne ſe loco ſine ſua pernicie mouere queat. Nemo hic à me narrationem rerum geſtarum

ſtirpis Maieſtatis latè fuſi radij, vt nihil occultum celatúmq. eſſe patiantur; in excelſo virtutis locati Throno omnium oculis conſpicimini, omnium tacitis iudicijs deſignamini. Viles & plebeiæ animæ, homines quos ſors naſcendi puro proiecit ſub aëre, quos altius attollere caput nõ ſinunt fædi & ignobilis ortus initia, & quos progenitorum ſuorũ vilitatis piget pudetq., ſerpant humi, & vitijs immerſi in ſordibus flagitiorum deliteſcant. Vos qui Maieſtatibus tot Imperatorum, tot Regum, tot Principum, quorum auguſto ſanguine editi eſtis, fulgetis; Vos inquam, auguſta, vos magna & ſublimia decent; à Vobis exempla petuntur, non magis magnitudinis animi, quàm modeſtiæ, temperantiæ, & pietatis, ſine qua nihil arduum & excelſum animo cogitari & ſuſcipi poteſt: vbi hęc deſuerit, ipſa quoque humana vileſcit prudentia, & optimæ conſtitutæ familię præceps ruit fortuna. Vos ad omnes præclaras actiones, & SIGISMVNDVS Pater, & Auunculus excitat, Hector noſtri ſeculi FERDINANDVS Imperator, errorum extinctor, Hæreticorum ſalutaris pernicies, monſtrorum orbis Chriſtiani pacem & tranquillitatem ambitioſo impioque auſu temerantium, Herculeus domitor. Vos denique vniuerſa hæc Reſpublica, in qua & cui nati eſtis, ſuo ſinu receptos, amplexu fouet, fouebitque; veſtris fauebit incrementis, præclaros veſtros, quos ſalutis publicæ cauſa ſuſcepturi eſtis, conatus, ſuis promouebit conſilijs: hæc Patria, hæc mater veſtra eſt, huic & amorem debetis, & tutelam; in vobis viuit Rex noſter SIGISMVNDVS, viuit eius pietas, Iuſtitia, Prudentia, ac inuictum animi robur. Vos ei per quem in lucem editi eſtis, veſtris Heroicis actionibus æternùm duraturam parietis eam, quam morte etiam ſua ſibi parauit, immortalitatem.

ORA-

ORATIO FVNEBRIS
D. D.
SIGISMVNDI III.
POLONIAE, ET SVECIAE
R E G I S, &c.

Et

CONSTANTIAE
R E G I N AE

Scripta

A IOANNE LIPSKI
Abbate Vachocenſi, Referendario Regni, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

FASTIDIT ſemper humiles vileſq. ædiculas regina animorum eloquentia. Ingens, acre velox ſit, neceſse eſt ingenium, quod illa ſubit incolendum. Eo vero quantum polleat Mercurialium vnus virorum Ioannes Lipſki, ipſius in dicendo ſcribendoq felicitas, cuius argumenta hic præ oculis habes, non obſcurè indicat. Mihi proinde dixiſse ſuffecerit, eum poſteaquam primùm Regentis Cancellariæ Regiæ, deinde Referendarij Regni munus præclarè ſuſtinuit, Eccleſiam Culmenſem rexiſse; demùm nuper eius Pedum, & Inſulam, Primatialis dignitatis Archiepiſcopatus Gneſnenſis, Cruci, Inſulæ Pallio, omnium plauſu, ætate adhuc florente, Vrbano Octauo P.O.M. Apoſtolicam auctoritatem interponente, permutaſſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO FVNEBRIS D. D. SIGISMVNDI III. POLONIAE, ET SVECIAE REGIS, &c.

Et CONSTANTIAE REGINAE.

Scripta

A IOANNE LIPSKI
Abbate Vachocenſi, Referendario Regni, &c.

SIGISMVNDI III. Regis noſtri, & Reginæ CONSTANTIAE oſſa tumulamus, Potentiſsime REX Sereniſsimi PRINCIPES, Illuſtriſsimi, Reuerendiſsimi, Ampliſsimi Auditores. Omnia ad laudem, omnia ad luctum dixi, cùm SIGISMVNDI Tertij, cùm CONSTANTIAE dixi: Regis, inquam, illius, quem me tacente loquuntur omnia, lugent omnia: Reginæ illius, quam nulla ætas tacebit. Ipſa omnium ve-

ſtrum,

Digitized by Google

ſtrum, ipſa humani generis conſcientia, ſub tantorum Maieſtate Nominum, magna Orbis Numina veneratur: nec quicquam humanum, aut mortale, niſi quod hodie tumulamus, cætera immortalia, diuina, ſempiterna. Vtinam & hoc ipſum, quod mori potuit, ſi æternùm viuere non potuit, ſaltem ad vota Orbis vixiſſet, niſi hoc æternùm viuere fuiſſet. Vtinam & Polonia tamdiù hoc ſpectaculo caruiſſet, quamdiù adhuc carebat: neque enim, quæ antè nos fuit, Polonia tantùm par eodem in feretro, quia nec in Solio vnquam aſpexit; infelicior nobis, quia non habuit; felicior, quia non amiſit. Sed hæc vota & lamenta poſt fata, ſicut hæc non extra vota, & lamenta intra ſolatia. Nempè eodem funere, quæ inter gemitus, & lacrymas funeramus, per ipſam iacturam fæneramus, noua Sceptra è paternis enata auſpicantes, aut vetera in nouo, & rediuiuo SIGISMVNDO continuantes: dum Te, VLADISLAE SIGISMVNDE, pro Vladislais, & Sigiſmundis, ex rogo hoc paterno Regem natum, & Electum, & paucos poſt dies ad iſtas aras inaugurandum, fęlici redhibitione nacti ſumus. Sed tamen neque Tu, Noue Sceptris, Antique fatis, & meritis Rex, amiſiſti amiſſo Parente Filij pietatem, neque nos ſub Nouo Rege priſtinam erga amiſſum caritatem. Nam & Tu, maluiſſes Patrem, quàm Regnum, & nos vtrumque Regem; ſi aut Regnum diuidi potuiſſet, aut non totum vterque meruiſſet. Verùm quòd dixi, Nobiliſsimi Auditores, iterùm dico, me omnia ſub auguſtiſsimis illis Nominibus dixiſſe: neque plus dicere, aut vos à me audire poſſe, quàm quod vobis ipſa tantorum Nominum ingerunt oracula: quorum alterum vel ipſum intra ſe capit MVNDVM; alterum in vna, qua CONSTAT, virtute omnes. Dicam tamen; quia ſilentij inſtar erit, quo venerari tanta Numina præſtat, paucula è tot, tantiſq. in hac atrata publici luctus Panegyri, quem magis ſingultibus, quàm verbis loqui decet, dixiſſe.

Quam-

Quamquam SIGISMVNDVS Rex; & CONSTANTIA Regina, non ſibi tantùm, nec vna ſua; ſed gentium, populorumque vita viuebant; vt meritò vita tot ſalutes complexa immortalis eſſe debuerit: morituros tamen inter mortales vixiſſe, hæ ipſæ mortalitatis exuuiæ, quas gemebundi aſpicimus, adſtruunt. Cæterùm, ſi quis vnquam mortalium ita natus eſt, vt genere, ita vixit, vt virtute ſupra mortales, communemque mortalitatis ſortem ſtetiſſe videretur: ambo iſti tantùm altero mortalibus eminuere, quantùm altero immortalitatem meruere. Sic enim ille in Regnatrice Domo natus, ſic in Imperatrice iſta; vt ſi nouos Reges ipſa conſors Diuinitatis poteſtas, ſupra humanum genus faſtigiat; quàm ſublimè eorum ſtetit fortuna? quos Regale genus ipſa vetuſtate antiquiùs, è tot Regum, atque Imperatorum ſanguine propagatum, genuit Reges Regum Genitores? in eam dudum claritatem, tot ætates, Regna, Imperia, conſpirauerunt, ex omnibuſque demùm mundi ſplendoribus hæc tanta lux coaluit, vt nihil vſpiam clarum, nihil Regium eſſet, quod lumen huic, & ab eadem ſibi non mutuauiſſet. Illinc præfulſit Gottici Regni vetuſtas, triumphati Orbis gloria illuſtris, & propria ipſius Regię Domus, in quam ſe tota pridem condidit, decora; illinc etiam inclytum Iagellonicę ſtirpis genus, fęlicibus Sarmatici Regni Sceptris illuſtratum. Hinc Auguſtum Auſtriacæ, hinc clariſſimum Bauaricæ Gentis decus, ex ipſis Orbis terrarum ſceptris, Imperijſque enatum. Vtrobique nihil in genere non Regium, aut tale, quo aliquid Europa, quo vel ipſe Orbis nobilius haberet. Qui quotquot ſceptris Chriſtianitatis regnatur, tot Principes, tot Reges in eam affinitatem coëgit; vt vel ipſe mundus anguſtus tantæ magnitudini foret, niſi nouum ipſa ſibi quæſiuiſſet, inueniſſet, ſubiugaſſet: nec Chriſtianus ſuffecturus, niſi cęlum propinquæ ſibi magnitudini prærogatiua nubendi conſuluiſſet. Quantò anguſtior inge-

nio,

diebatur: vbiq. arma, vbique Martius furor inualeſcebat; miles in conſilio, miles in Comitio; primas tenebat partes: nullus erat qui pacem ſuaderet, qui infenſos, & in mutuam perniciem accenſos, animos componere vellet; quod ſi quis meliora ſuaſurus compareret, parum aberat, quin ab ijs qui ſuam & patriæ, heu dedecus, ſeruitutem externis Principibus addixerant, hoſtis patriæ iudicaretur. Pereundum nobis fuit, niſi ijs, qui partes Reipublicæ tutabantur, eam mentem inſpiraſſet Deus, Regem vt SIGISMVNDVM dicerent: ad eius adhuc abſentis, ſatiſq. adhuc inualidi nominis famam, & bonis Ciuibus creuit animus, & eorum, qui externa potentia freti, aliò flexerant ſtudia, ſpes labare cœperunt. Venit SIGISMVNDVS exiguo, aut ferè nullo, militum robore cinctus, ſed Diuino munitus præſidio: Vrbem hanc ab hoſte obſidione cinctam, per medias & infeſtas inimicorum acies petijt, Deo duce, Deo authore, eluſis hoſtium quæ iter facienti frequenter ſtruebantur inſidijs, eò quò intenderat peruenit; cùm paulò ante eius auſpicijs Ioannes Zamoſcius, quem ſelici quodam Reipublicæ fato natum credere par eſt, vt extaret ſeræ poſteritati perfectiſsimum exemplar amantis patriæ Ciuis, fortiſsimi & feliciſsimi belli Ducis, prudentis Senatoris, re præclarè geſta, hoſtem acie victum ſoluere obſidionem, ac in tutiora loca ſe recipere coëgiſſet. Deus immortalis! qui dies ille, quàm lætus, quàm certus futuræ ſponſor felicitatis! cùm SIGISMVNDVS, tàm potentis hoſtis victor, hanc Vrbem inueheretur, cùm arcus triumphales; cùm Statuæ eius nomini ſacratæ figerentur; cùm portę Vrbis; cùm priuatæ publicæq. ędes ignibus collucerent; cùm miles, cùm populus concordi voce felicitatem, proſperitatem, ac Imperij diuturnitatem, ei comprecaretur; cùm denique Regium SIGISMVNDI caput ſacro cingeretur diademate, Summo Antiſtite Staniſlao Karnkouio Archiepiſcopo Gneſnenſi, notæ ſanctitatis viro, Preces & Vota concipiente,

eadem

eademque non irrito euentu ad ſacras fundente Diuorum aras. Ab hoc orientis Imperij exordio, tot annorum, quibus SIGISMVNDVS ſummam rerum tenuit, quaſi continuus quidam torrens perpetuæ fluxit felicitatis. Archidux Maximilianus, cùm mala quorundam ambitione ad repetendum Regnum traheretur, exactus Regni finibus, acieq. victus, deditione in Regis venit poteſtatem: intra vnius anni decurſum, & Reſpubl. domi pacata, & cum Sereniſsima Domo Auſtriaca tranſactum; pax & fœdera cum externis inita Principibus. Cæteris quidem Regibus ratio regnandi etſi difficilis, non tamen adeò ardua videri debet: nam & pacem colere ſuo arbitratu, & dum libet bellum ordiri in eorum poteſtate ſitum eſt; nobis vix vnquam licet eſſe quietis. Nam vt alios, quibus circumambimur hoſtes taceam: quæ fides Moſcho? quæ fides Tartaro? quæ fides Turcæ eſſe poteſt? vix non eadem hora pacem pollicentur, amicitiam ſpondent, fœdera ſanciunt; mox infeſtis agminibus percurſant campos, cædes & incendia ſpargunt, cultis regionibus vaſtitatem inferunt, fidem datam, non ad iuriſiurandi religionem, ſed ad ſuum commodum, occaſionemque rei gerendæ referunt. Itaque Reges Poloniæ ſemper inuigilare, ſemper in armis eſſe oportet, eò felices, quòd nunquam illis deſit materia benè merendi de Republica Chriſtiana, parandæ immenſæ gloriæ, & ſi ea eſſet ambitio, iuſto & legitimo bello proferendi Imperij. Domus Ottomanicæ Turcarum arma iam propè quadringentis annis, vt taceam veteres Saracenorum in Aſia, Africa, & Europa ferociſsimos auſus, inualuere: bina Orientis Imperia, ab hac peſte ſub iugum miſſa, vniuerſus Oriens turpi Mahometicæ ſectæ dogmate fœdatus, duram ſeruit ſeruitutem. Acceſsit Thracia, Græcia, Macedonia, Illiricus, Mæſia, & magna pars aurei quondam fructus feracis Hungariæ. Fruſtra Reges, fruſtra Europæi Imperatores, translata in Græciam arma Turcica

armis ſiſtere voluerunt: quotieſcunque fortunam & Martis aleam experiri contigit, aut victi & caeſi, aut victis non diſsimiles abierunt. Primus omnium SIGISMVNDVS noſter, quadraginta abhinc annis Amurato III. vim finibus Regni admouenti, arma feliciter oſtentauit, & deſiſtere cæpto coegit. His proximis annis Ottomanus, ſęuus & audax, idemque glorię auidus, iuuenis, excita & armata vniuerſa barbarie, in ſocietatem belli aſſumpto, quod hactenus vix vnquam factum fuerat, Tartarorum Chamo, (ita illis ſummum eius gentis Imperatorem appellare mos eſt) totis viribus in nos incubuit: nunquam Europa tam numeroſos vidit exercitus; nullus Regum tam ingentem bellici inſtrumenti apparatum ſecum in aciem duxit; ipſo nominis ſui terrore, barbarus Princeps ſe omnia conſecuturum ſatis ſuperbè ſperabat. Fruſtra; namque iam olim in fatis erat, vt coerciti Turcarum Imperatoris gloria ſeruaretur SIGISMVNDO, & Regię eius Domui: vt tu quoque Sereniſsime Rex VLADISLAE, qui Caſtris hoſti oppoſitis, & Patris, & Tua auſpicia eo intuleras, in partem maximi venires triumphi. Hoſtis certè ſua etiam confeſsione victus, magna parte exercitus amiſſa, nullo parto decore, domum redijt ingloruis. Moſchorum vires, Maioribus etiam noſtris formidabiles, quis vnquam ſperare, aut cogitare potuit, cuiuſquam potentiæ ſuccubituras? Ceſsere ex SIGISMVNDI armis, qui iuſto ſuſcepto bello, biennique labore Smolenſcum expugnauit; Vrbem ipſam caput Regni Moſchouiam, Baſilium Suiſcium tanti Imperij ſumma cum poteſtate moderatorem, eiuſque fratres deditione in poteſtatem redegit; denique Moſchos datæ fidei, qua ſe tibi Sereniſsime Rex VLADISLAE obſtrinxerunt, oblitos & rebelles, iterum à Te armis perdomitos, ea parte Imperij, quam illi quondam à Regno, & Mag. Ducat. Lithuanię, fraudę auulſerant, mulctatos,

pacis

pacis conditiones arbitratu ſuo latas, acceptare coëgit. Gens quidem illa Parentis Tui, & Tuis Sereniſſime Rex VLADISLAE, armis toties coërcita, non aliam ob cauſam violatis iuratis fœderibus arma ſumpſit, niſi vt tuam augeret gloriam, vt prima initia Imperij Tui felici (quem vouemus) ſucceſſu belli illuſtraret, conſecraretque. Neque verò his tantum triumphis clarum & conſpicuum eſſe voluerunt fata SIGISMVNDVM Regem. Tartari, durum in armis genus, ad vaſtitatem inferendam, ad prædas agendas, vſu & natura facta gens, feritate barbara, immanitate crudelis, multitudine infinita, fide nulla, ſuperioribus ſeculis tantam cladem finibus Regni intulerat, vt exciſis funditùs Oppidis, & colonis partim cæſis, partim in triſtem abductis ſeruitutem, ingentes campos, olim cultos habitatoſque, omni cultore & habitatore vacuos fecerint. Serpebat hoc malum in dies, & populationem hoſte promouente, ſemper ex ditionibus noſtris aliquid decedebat; nec quiſquam erat, qui Tartarum lato apertoq. campo, per ſuas turmas aciem ſtruentem vinci poſſe crederet: nam celeri curſu & recurſu pugnam ciere aſſuetus, incertum fugiens, an cominùs arma ſtringens, maiorem inferat perniciem; victus ſæpè, victorem ſternit humi; & dum minimè timetur, terrorem infert, potiturq. victoria. Hanc tam immanis hoſtis vincendi, aut ſaltem impunè graſſandi, conſuetudinem coërcuit animosè SIGISMVNDVS Rex, obiectis hoſti nouis colonijs, & munitis frequentiſſimis Oppidis. Quod quidem inſignis prudentiæ fuit, ſine cæde & & ſanguine munire Imperium, tueri fines, propulſare barbarorum impetus. Illud verò felicitatinè, an virtuti imputandum, nullo vnquam Rege Poloniæ, Tartarum pugna campeſtri toties fuſum fugatumque, nunquam tot proſperis experimentis probatum, vagum licet hoſtem teneri & vinci poſſe; interdum etiam ita acie in ordinem redigi, ne ſe loco ſine ſua pernicie mouere queat. Nemo hic à me narrationem rerum geſtarum

Digitized by Google

expectet:aliam occaſionem,aliud tẽpus,hæc ſibi poſcit, & nos triumphos SIGISMVNDI non recenſemus.ſed leui ſignamus nota, vt in hoc funebri actu, in hac cõmunis doloris acerbiſſima pompa breuiter perſtricti,aliquantiſper in animis hæreant, donec præſtantiorum ingeniorum opera, ſtylo aureo exarati, lucẽ publicam aſpiciant. Bellica facinora, & parta armis gloria,& militibus & Ducibus,ita eſſe cõmunis ſolet, vt eã Reges ex integro ſuam eſſe dicere nequeant;multum huic decori detrahit fortuna;multum rei benè gerendæ occaſio; virtutũ tantum ſolida eſt poſſeſsio, hæ vnius cultoris ſui inſident animo. Quis Regum,aut Principum, SIGISMVNDI pietatem,etiãſi maximè pius ſit, æquare poſſit, qui de Regno paterno periclitari potiùs maluit,quàm erroris Hæretici labe infici,vel quidquis impium retinendi Regni cauſa Hæreticis indulgere?qui tot auguſtis ſtructis Baſilicis;Aris poſitis;& aurea argenteaq.ſuppellectili liberaliter inſtructis,ſatis oſtendit fuiſſe ſibi curæ Diuinum honorem,qui totus diuinarum rerum contemplationi immerſus ſemper,& corde & ore Deum ſpirabat,Deum ſonabat; in Dei veneratione continuò verſabatur. SIGISMVNDI Regis pietati,Polonia & Lithuania debet promotos Regni fines; hoſtes hæreditarios toties fuſos fugatoſq.; ius Regni aſſertũ; bellicæ gloriæ ſtudium propagatum;libertatis iura conſeruata; & ne plura in medium adferam, quadraginta quinque annorũ continuam felicitatem;Iuſtitiam,Temperantiam, Clementiã, animi magnitudinem], Munificentiam, Prudentiam,cæteraſq. magno Rege dignas virtutes, ita iuris ſui fecerat, vt non vſu quodã & conſuetudine doctus, ſed natura ad omnes præclaras actiones, quæ ab ijs virtutibus petuntur ſuſcipiendas, factus meritò exiſtimari debeat. Felix profectò SIGISMVNDVS, non tàm vitæ actæ proſperitate,quàm quod ſemper contenderit,ne à fortuna dependeret; vt ſuæ felicitatis,Deo duce & auſpice,author effectorq.eſſet: voti certè compotem fecit Deus, namq. ita vixit,vt vixiſſe eum nunquam pœnitere potuerit;ita felici-

ita feliciter regnauit, vt memoriam nominis ſui, immortalitati conſecrarit. Quis locus? quæ Regio in terris eius non plena laboris? quis adeò remotus orbis angulus, quò eius fama non peruaſerit? Felicem Te, fortunatumq., Sanctiſsime Rex, prędicamus, binis Cæſareæ & Auguſtæ Domus Auſtriacæ cõnubijs. Ambæ Coniuges tuæ, nõ tantùm Imperatorij ſanguinis ſplendore, ſed multò magis Reg. virtutum ornamentis excelluerũt. tanta in vtraq. morum grauitas; tanta in vultu maieſtas, vt ſupra conditionem humanam diuinum quid ſpirare viderentur; ea pudicitia, quam magiſtram innocentiæ, & precioſum matronalis dignitatis monile appellare poſſumus, vt exemplo cęteris omnibus fuerint. CONSTANTIA quidem non ſolum vitæ, ſed & mortis conſors, tecum ſimul effertur, tecum in eodem componitur tumulo. Felicem iterũ tè appellamus, inclyte Rex, hac Regia prole, quam tuo exitu męſtam triſtemq., tibi Genitori ſuo ſupremos ſoluentem honores conſpicimus: Duos quidem Sacerdotalis toga auguſtiores reddit, quàm ſi & purpura, & diademate fulgerent Regio. Te verò Potentiſsime & Inuictiſſime Rex VLADISLAE, Vos Sereniſsimi, CASIMIRE & ALEXANDER, Principes, qua oratione alloquar? Triſtemnê augeam dicendo mæſtitiam? Sed iſte ſqualor, iſte luctus, hę quas vberes cum Sereniſsima SORORE, ſocia acerbiſsimi doloris, funditis, lachrymæ, ſolatia ſolida requirunt, quæ non aliundè Vobis petenda ſunt, niſi ex memoria fixa in pectoribus veſtris, pijſsimorum Parentum veſtrorum. Monita eorum, quibus vobis Regiarum virtutum viam monſtrauerũt, ſemper hæreant in animis veſtris; eos præſentes vobis adeſſe, vos illorum mãdata accipere creditote, magni feliceſq. futuri, ſi ad eorum exempla, ſtudia actioneſq. veſtras compoſueritis; non ita editi eſtis, non ea ſtirpe nati, vt vobis aliquando Maieſtatis Maiorum Veſtrorum generis nobilitate partæ, cuius hęreditatem creuiſtis, obliuiſci liceat. Is eſt dignitatis Veſtræ ſplendor, vt vel minima labes in ea conſpici poſsit; ij Regiæ

ſtirpis Maieſtatis latè fuſi radij, vt nihil occultum celatúmq; eſſe patiantur; in excelſo virtutis locati Throno omnium oculis conſpicimini, omnium tacitis iudicijs deſignamini. Viles & plebeiæ animæ, homines quos ſors naſcendi puro proiecit ſub aëre, quos altius attollere caput nō ſinunt fædi & ignobilis ortus initia, & quos progenitorum ſuorū vilitatis piget pudetq;, ſerpant humi, & vitijs immerſi in ſordibus flagitiorum delitcſcant. Vos qui Maieſtatibus tot Imperatorum, tot Regum, tot Principum, quorum auguſto ſanguine editi eſtis, fulgetis; Vos inquam, auguſta, vos magna & ſublimia decent; à Vobis exempla petuntur, non magis magnitudinis animi, quàm modeſtiæ, temperantiæ, & pietatis, ſine qua nihil arduum & excelſum animo cogitari & ſuſcipi poteſt: vbi hęc defuerit, ipſa quoque humana vileſcit prudentia, & optimæ conſtitutæ familię præceps ruit fortuna. Vos ad omnes præclaras actiones, & SIGISMVNDVS Pater, & Auunculus excitat, Hector noſtri ſeculi FERDINANDVS Imperator, errorum extinctor, Hæreticorum ſalutaris pernicies, monſtrorum orbis Chriſtiani pacem & tranquillitatem ambitioſo impioque auſu temerantium, Herculeus domitor. Vos denique vniuerſa hæc Reſpublica, in qua & cui nati eſtis, ſuo ſinu receptos, amplexu fouet, fouebitque; veſtris fauebit incrementis, præclaros veſtros, quos ſalutis publicæ cauſa ſuſcepturi eſtis, conatus, ſuis promouebit conſilijs: hæc Patria, hæc mater veſtra eſt, huic & amorem debetis, & tutelam; in vobis viuit Rex noſter SIGISMVNDVS, viuit eius pietas, Iuſtitia, Prudentia, ac inuictum animi robur. Vos ei per quem in lucem editi eſtis, veſtris Heroicis actionibus æternùm duraturam parietis eam, quam morte etiam ſua ſibi parauit, immortalitatem.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO FVNEBRIS
D. D.
SIGISMVNDI III.
POLONIAE, ET SVECIAE
R E G I S, &c.

Et

CONSTANTIAE
R E G I N AE.

Scripta

A IOANNE LIPSKI
Abbate Vachocenſi, Referendario Regni, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

FASTIDIT ſemper humiles vileſq. ædiculas regina animorum eloquentia. Ingens, acre velox ſit, neceſse eſt ingenium, quod illa ſubit incolendum. Eo vero quantum polleat Mercurialium vnus virorum Ioannes Lipſki, ipſius in dicendo ſcribendoq felicitas, cuius argumenta hic præ oculis habes, non obſcurè indicat. Mihi proinde dixiſse ſuffecerit, eum poſteaquam primùm Regentis Cancellariæ Regiæ, deinde Referendarij Regni munus præclarè ſuſtinuit, Eccleſiam Culmenſem rexiſse; demùm nuper eius Pedum, & Inſulam, Primatialis dignitatis Archiepiſcopatus Gneſnenſis, Cruci, Inſulæ Pallio, omnium plauſu, ætate adhuc florente, Vrbano Octauo P.O.M. Apoſtolicam auctoritatem interponente, permutaſſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO FVNEBRIS D. D. SIGISMVNDI III. POLONIAE, ET SVECIAE REGIS, &c. Et CONSTANTIAE REGINAE.

Scripta

A IOANNE LIPSKI
Abbate Vachocenſi, Referendario Regni, &c.

SIGISMVNDI III. Regis noſtri, & Reginæ CONSTANTIAE oſſa tumulamus, Potentiſsime REX Sereniſsimi PRINCIPES, Illuſtriſsimi, Reuerendiſsimi, Ampliſsimi Auditores. Omnia ad laudem, omnia ad luctum dixi, cùm SIGISMVNDI Tertij, cùm CONSTANTIAE dixi: Regis, inquam, illius, quem me tacente loquuntur omnia, lugent omnia: Reginæ illius, quam nulla ætas tacebit. Ipſa omnium ve-

ſtrum, ipſa humani generis conſcientia, ſub tantorum Maieſtate Nominum, magna Orbis Numina veneratur: nec quicquam humanum, aut mortale, niſi quod hodie tumulamus, cætera immortalia, diuina, ſempiterna. Vtinam & hoc ipſum, quod mori potuit, ſi æternùm viuere non potuit, ſaltem ad vota Orbis vixiſſet, niſi hoc æternùm viuere fuiſſet. Vtinam & Polonia tamdiù hoc ſpectaculo caruiſſet, quamdiù adhuc carebat: neque enim, quæ antè nos fuit, Polonia tantùm par eodem in feretro, quia nec in Solio vnquam aſpexit; infelicior nobis, quia non habuit; felicior, quia non amiſit. Sed hæc vota & lamenta poſt fata, ſicut hæc non extra vota, & lamenta intra ſolatia. Nempè eodem funere, quæ inter gemitus, & lacrymas funeramus, per ipſam iacturam fœneramus, noua Sceptra è paternis enata auſpicantes, aut vetera in nouo, & rediuiuo SIGISMVNDO continuantes: dum Te, VLADISLAE SIGISMVNDE, pro Vladislais, & Sigiſmundis, ex rogo hoc paterno Regem natum, & Electum, & paucos poſt dies ad iſtas aras inaugurandum, fęlici redhibitione nacti ſumus. Sed tamen neque Tu, Noue Sceptris, Antique fatis, & meritis Rex, amiſiſti amiſſo Parente Filij pietatem, neque nos ſub Nouo Rege priſtinam erga amiſſum caritatem. Nam & Tu, maluiſſes Patrem, quàm Regnum, & nos vtrumque Regem; ſi aut Regnum diuidi potuiſſet, aut non totum vterque meruiſſet. Verùm quòd dixi, Nobiliſsimi Auditores, iterùm dico, me omnia ſub auguſtiſsimis illis Nominibus dixiſſe: neque plus dicere, aut vos à me audire poſſe, quàm quod vobis ipſa tantorum Nominum ingerunt oracula: quorum alterum vel ipſum intra ſe capit MVNDVM; alterum in vna, qua CONSTAT, virtute omnes. Dicam tamen; quia ſilentij inſtar erit, quo venerari tanta Numina præſtat, paucula è tot, tantiſq. in hac atrata publici luctus Panegyri, quem magis ſingultibus, quàm verbis loqui decet, dixiſſe.

Quam-

Digitized by Google

Quamquam SIGISMVNDVS Rex; & CONSTANTIA Regina, non ſibi tantùm, nec vna ſua; ſed gentium, populorumque vita viuebant; vt meritò vita tot ſalutes complexa immortalis eſſe debuerit: morituros tamen inter mortales vixiſſe, hæ ipſæ mortalitatis exuuiæ, quas gemebundi aſpicimus, adſtruunt. Cæterùm, ſi quis vnquam mortalium ita natus eſt, vt genere, ita vixit, vt virtute ſupra mortales, communemque mortalitatis ſortem ſtetiſſe videretur: ambo iſti tantùm altero mortalibus eminuere, quantùm altero immortalitatem meruere. Sic enim ille in Regnatrice Domo natus, ſic in Imperatrice iſta; vt ſi nouos Reges ipſa conſors Diuinitatis poteſtas, ſupra humanum genus faſtigiat; quàm ſublimè eorum ſtetit fortuna? quos Regale genus ipſa vetuſtate antiquiùs, è tot Regum, atque Imperatorum ſanguine propagatum, genuit Reges Regum Genitores? in eam dudum claritatem, tot ætates, Regna, Imperia, conſpirauerunt, ex omnibuſque demùm mundi ſplendoribus hæc tanta lux coaluit, vt nihil vſpiam clarum, nihil Regium eſſet, quod lumen huic, & ab eadem ſibi non mutuauiſſet. Illinc præfulſit Gottici Regni vetuſtas, triumphati Orbis gloria illuſtris, & propria ipſius Regię Domus, in quam ſe tota pridem condidit, decora; illinc etiam inclytum Iagellonicę ſtirpis genus, fęlicibus Sarmatici Regni Sceptris illuſtratum. Hinc Auguſtum Auſtriacæ, hinc clariſſimum Bauaricæ Gentis decus, ex ipſis Orbis terrarum ſceptris, Imperijſque enatum. Vtrobique nihil in genere non Regium, aut tale, quo aliquid Europa, quo vel ipſe Orbis nobilius haberet. Qui quotquot ſceptris Chriſtianitatis regnatur, tot Principes, tot Reges in eam affinitatem coëgit; vt vel ipſe mundus anguſtus tantæ magnitudini foret, niſi nouum ipſa ſibi quæſiuiſſet, inueniſſet, ſubiugaſſet. nec Chriſtianus ſuffecturus, niſi cęlum propinquæ ſibi magnitudini prærogatiua nubendi conſuluiſſet. Quantò anguſtior inge-

nio,

nio, & tempore oratio mea? vt nec partem tam Auguſtæ Maieſtatis complecti poſſit, & non meritò reliqua, vel potiùs aliqua venerabunda mentione percurrat, quàm longiùs hærens ſub tanta magnitudine ſuccumbat. Enimuerò tanto generi cætera reſpondere; indoles, Maieſtas, virtus, gloria, fortuna: quanquam aduerſa infantiam afflixit, exercuitq. in cunas, neſcio, quæ mala Cunina imperium, tanquam mox ſeruitura, & faſces virtuti in reliquam ætatem traditura. Sed quæcunque illam ætatulam excepit fortuna; prçludere magnis, more ſuo, fata voluerunt. Siuè illa iacto iam tum cognatorum odiorum ſemine, quod in malefidos Patruos, ac Patrueles excreſceret, ad aliam Patriam, ad alia Regna viam maturè aperiebant: ac omnia vbique fauſta, obuia, propitia, præter natale ſolum, prænunciabant. Prçmaturo etiam prçſagio, illam ei veram fore Patriam, quç accepiſſet, non quç genuiſſet, ipſumq. fçliciorem foris, quàm domi; felicem & Poloniam aliena infçlicitate, alieno ſcelere, cuius pœnas hucuſque ingrata Patria luit, dùm virtutem apud ſe natam alibi vidit, & ſi fateri non timeret, inuidit. Siuè etiam ipſa huc properaret Gentilitia, ac Regalis Herba, natiuas faſtidiens, & exoſa aquas in ſtygias (miſerùm) verſas, campeſtri inferenda Regno, & Iuncetum ſuum terris fçcundiùs propagatura, vt ibi oriretur viror calami & Iunci, vbi iam non draconis infernalis cubile, quem fçlicius cçleſtibus armis, quàm illum antiquum pice, ac ſulfure enecauimus; ſed fauſtus albç Aquilç nidus perennat, Regnatque: & hic Regalis Iuncus in fæcundum ſtirpeſceret Iuncetum, vndè fugacia Lilia in ſuum Lilietum Cçlum reuocauerat, fertiliori Herbç in noua Dominantium Sceptra ſurrecturç locum datura. Quin vix aliter, ille naſci potuit, aut debuit, quàm cçtera mundi Numina, in quorum incunabula fortunç inuidia per diſcrimina, & fugç, latebrarum, alieni ſinus calamitatem deſçuit; vt nec primç in terris magnitudinis incçptores, perfectoreſque alia

forte

Digitized by Google

ſorte naſci potuerint, quin alij vitam inuiſæ mortalibus feræ debuerint, alij per vulnera cæſæ matris acceperint; tranſmiſſo etiam tantæ fatorum iniuriæ Cognomine, ad eiuſdem magnitudinis ſucceſſores, ne Orbis obliuiſci aliquando poſſet, non aliter magna terris obuenire. Sed quid Funeri cum Natalicijs? Quid feretro cum incunabulis? niſi fortè quia oportuit, Auditores, Regem noſtrum ſorte magnorum naſci, qui maximus moriturus erat, memoranda mihi fuit hæc ſuæ infantiæ fortuna. Cuius imperium in tenella illa ætate, vel magis futurorum auſpicium ſtetit; illorum, inquam, per quæ ſequens ætas citiùs gloria, & fælicitate, quàm annis creuit, quia & ipſe virtute prius, quàm ætate maturuit, in cuius primo vere, iam illa autumnabat. Nam ad extremam pueritiam explicuere ſe fata; quæ diù iam nouam ſarmatici Imperij ſcenam texebant, per occaſum vltimi Regis Iagellonici, alteriuſque eorum, qui ei ſucceſſerant, fatalem fugam, alterius fugax, quia ſterile, fatum. Indè tota Domus Iagellonicæ fortuna in SIGISMVNDO noſtro, per Matrem Iagellonico, incubuit. Huc fatorum, huc Superum, huc liberæ Gentis fauor conſenſit: quæ inclitum hoc Iagellonici ſanguinis germen vltrà maria quæſiuit, ambiuit, elegit, coronauit. Properè hæc à me dicuntur, Auditores; quia immorari magnis paruitas mea metuit; vel quòd Cælum etiam, & fortuna Tua, ò Polonia, properauit, ne ſi tardauiſſet, egiſſetq. lentiùs, aut Suecia ſanior mora tantum bonum dimittere noluiſſet, aut cætera Regna ſpatium ambigendi habuiſſent. Quin ſic vndequaque in gloriam SIGISMVNDI properabatur, vt ipſa euntem faelicitas ac victoria præiret, dignum, quem ipſæ ducerent; dignæ quas ille ſequeretur. Secutus eſt bonis auibus; quia albis Aquilis contra nigras: & antequam venit, antequam vidit, vicit, ipſoq. ſubuectus triumpho ad Regnum peruenit. Tu verò, Nobiliſsime Aemule, quia in fata pugnauiſti, ſuccubuiſti. Neſciebas, Te in eum arma ſtrinxiſse, cuius Regni,

quod inuadebas Conſors in penatibus Fratris tui, altera iam nata erat, altera naſcebatur, Nepotibuſque tuis Regnum præripere voluiſſe. Quanquam compenſauit vtrinque fortuna infauſtæ aemulationis iniuriam, hinc victoria, illinc eorundem armorum, quae vicerant, vtili deinceps obſequio, neque tum alio, niſi quod vicerant, nocumento; imò communi vtrinque victoriæ fructu, qua victori ex victo plus quam frater, victo ex victore liberator, vterque mutuò ſibi ex hoſte hoſpes factus eſſet. Caeterum, ſic oportuit auſpicari Regnum eum, qui ſic Regnaturus erat. Tot enim, quibus Regnauit anni, per victorias, & triumphos exiere, vt non immeritò à victoria inceperint. Verùm ego, tenui hac tumultuarij ſermonis cymbula, à litore non moueo, à quo ſe vaſtiſsimum, & ſolis perennium Annalium lyburnicis ſuperandum, explicat rerum bello paceque geſtarum, pelagus: quas nullus foris Tacitus tacuerit, nullus domi Dlugoſius, vel ipſo ſuo cognomine longior, prolixiorque ſatis narrauerit. Ipſi anni Annales, ipſa ſaecula, Faſti erunt ſoli tantae magnitudinis capaces, perenni inter ea, quae SIGISMVNDI Tertij geſta viderant, & quae audient, inuidia. Ipſi quoque debellati populi, triumphatae gentes, Prouinciæ ſubiugatæ, gloriam SIGISMVNDI ad poſteritatem ferent, teſtes virtutis, cui ſuccubuerant, eoque ipſo fælices, quòd infælices contra SIGISMVNDI arma fuiſſent. Sola illa in ſe crudelis Patria infælix eſſe maluit, vel meruit, dum fæliciùs tam bonae fælicitati obluctando, propriae infælicitati, vel alienae libidini obſecundauit. Verùm & ibi, quoties virtute, non dolo, cui plerumque magnæ & bonæ mentes obnoxiæ ſunt, dimicatum eſt, gloria SIGISMVNDI triumphauit. Recenſerem cæſos exercitus, expugnatas Vrbes, captas Arces, hoſtem ipſum fugatum, obſeſſum, ſauciatum; ni ſciam optimi Regis Manes, etiam poſt fata, Cognato hoſti malle parcere, cui viuus ipſe parcebat; & ni caetera eius

tro-

trophęa erubeſcerent adnumerari bellis, quibus non tàm gloria, quàm ſupplicium, vel reſipiſcentia rebellium quaerebatur. Quamdiù tamen Kochenauſum, Venda, Felinum, Volmaria, Albus lapis, Parnauia, Dinamentum, Ameſteinum, Stuma, Puckum, aliaquè loca cladibus hoſtium nobilitata, vel vt compendio dicam, Liuonia, & Pruſſia, in Orbe terrarum erunt; vel ſi hoc nimis, quamdiù Kircholmum intra Liuoniam, illud, inquam, Kircholmum, quod alterę Cannæ, vel noſtrum Grineualdum hoſtibus fuit, habebit poſteritas, quod dubitet, quin potius non habebit, vtrum SIGISMVNDVS Rex vincere potuerit, an cùm potuit, parcere maluerit. Vtinam verò ille ex Fratre hoſtis ita reſipuiſſet, vt ei cælum quoque parcere voluiſſet, digno alias longioribus fatis, niſi in cęlum pugnauiſſet, digno ob inclytum genus, heroicos ſpiritus, militarem gloriam ſui Nominis, quo toto AVGVSTVS erat titulo; niſi AVGVSTVM impio bello laceſsiuiſſet, & pręcipiti fato nouus hic, ſed nobilior Totillas, in nouum, ſed iuſtiorem Iuſtinianum; in nouum, ſed meliorem Narſetem incidiſſet. Quod ſi ille Regis, Fratriſq. ab ſe violati Manibus victima debebatur; Noſtro tamen, dum vixit, non minùs vincendi gloria, quàm parcendi pietas conſtabat. Sic ſanguini ſuo, ſic Chriſtiano, ſic ſubditis vtriuſque Regni parcebat. Strinxerat enim & hic arma (quod pace tua, Diue SIGISMVNDE, pace tua, ò Polonia, poſt publicam Amniſtiam memorauerim) ſtrinxerat, inquam, ſed inuitus, & magis, vt ſeruaret, ſanaretque, quàm vinceret; vel magis victis, quam ſibi vinceret; adeò ſola pietatis, & clementię laude contentus, vt ſeruator, quàm victor eſſe maluerit. Nimirum libertatem noſtram in fructu victoriae ponens, quam caeteri ſeruitute Regnorum metiuntur, vincuntq. alij bello ciuili, vt perdant, hic, ne periremus. Verùm vbi hoſtes, non Ciues (iam enim ad veras tranſeo victorias) ijque non tam ſui, quàm Religionis & Regni (quan-

quam tum maximè ſui) debellandi erant: ſcit orbis, quàm ſæpè, quàm gloriosè vicerit; cuius magnam partem fælici victoriarum curſu, totum fama peragrauit. Abſuit illi tamen armorum æquè libido, ac timor: & quamuis ſemper vicit, quoties bellauit; nunquam tamen bellauit, quin priùs cauſa, quàm armis vicerit. Nulla ætatis parte belli expers, vt Regum pauci belligerare citiùs incæperint, nullus ſeriùs deſierit: cùm non iuuenem, non ſenem, caſtra, acies, cęlum ignorauerit, tantòque minùs virum; etſi hoc diſcrimen ætas eius non nouit, quæ ſemper virilis, ſemper bellatrix, ſemper victrix fuiſſet. Sæpè ductu ſuo, ſæpiùs per Duces, vbique auſpicijs ſuis, ſemper denique ſuo, ideſt, ſummorum Heroum, atque Imperatorum, non ſæculi genio, bellauit, debellauit. Erubuit enim non ſemel ad aliorum victorias præſens ætas, vel aucupio fraudis ſurreptas, vel fidei alienæ pretio emptas, vel larua pacis & amicitiæ ementitas, vel proluuie ſanguinis Chriſtiani contaminatas: dum premunt odia ante bellum, vt incautos opprimant magis, quàm vincant: induunt in bello non tàm arma, quàm odia, vt non vincant modò, ſed perdant: deponunt poſt bellum arma, vt infeſtius amici, quàm hoſtes noceant: ſcilicet ius armis, virtutem dolo, gloriam ſucceſſu metientes. Sed Regi noſtro bellum fuit non odiorum, ſed armorum, pium & glorioſum certamen: non forum, & nundinatio alienæ fidei, ſed veræ palęſtra gloriæ: non ſecuritatis, & pacis decipulum, ſed clarum fortitudinis experimentum. Non antè inferre bellum ſolitus, quàm publica auctoritate ſancire: non premere, ſed prelo, ac typis, hoſti & Orbi euulgare: nec ante armorum cauſas arma ſumere, magiſque iniuriam, quàm hoſtes vindicare: nunquam odijs armatus, nec armis, niſi & iuſtitia; nec vtroque, niſi vt vinceret; iacere hoſtem, non perire contentus, niſi qui perdere coëgiſſet. Minimùm iuris in eius victorias fortuna, nihil fraus, totum virtus habuit. Nemo vidit in acie & periculo

timi-

Digitized by Google

timidum, nemo poſt victoriam tumidum, nemo victoria victum; ſed vbique hoſtium, vbique ſui, ſemper ipſius victoriȩ victorem. Hȩ fuerant, optimi Auditores, SIGISMVNDI militandi artes, hȩc bellorum arcana, hȩc ſtratagemmata: quibus tanta ſingulis annis, quibus Regnauit, geſsit, quanta vix Regum quiſquam omnibus; cùm tot Regnaſſet, quot haud multi vixere: vt quemadmodum annis hoſtes, hoſtibus bella, bellis victorias numerare poſſumus; ita ſi annos, rerum geſtarum magnitudine metiemur, inȩtates, & ſaecula tranſibunt; nec iam annis, ſed ſaeculis SIGISMVNDVM Regem vixiſſe fateri cogemur. Non per minora etiam locorum, quàm temporum ſpatia rerum geſtarum multitudo, & magnitudo inceſsit: illic dimidium propè ſaeculum, hic maiorem ſolidȩ Europȩ partem emenſa. Quanta enim terrarum ſpatia intra ſe condunt Viſtula, Albis, Iſter, Boriſthenes, Thanais; imò quanta mare Balthicum, Glaciale, Pontus Euxinus; victrices SIGISMVNDI Aquilȩ ſunt peruagatȩ. Vidit quoque eas nuper Rhenus, vix peruius Romanis, conſpexit ſȩpiùs cum ſuo Boſphoro aduerſa cœcorum ſedibus Vrbs, obſeſſamque ſe ſenſit, & fumantium in vicinia Ciuitatum, pagorumque fauillacea fuligine fœdatam. Quin nec maria, nec Alpes ſtitiſſent victoriae curſum vltra tuas, Boleslae, columnas prouectum, ni intra fata cognominis ſui virtus Polonica vltro ſtetiſſet, maluiſſetque ſtabilem ſolo, quàm fluctuantem ſalo gloriam. Sed vt rebus ipſis loquar, Auditores, breue, ſed magnum earum compendium, faſtis atque aeternitati fuerit. Michaël Palatinus Moldauiae magno praelio victus; Roſuanus Valachiae imminens, in ipſo belli limine oppreſſus; grande vterque documentum, Socios atque clientes tanti Regis, Regnique non impunè laceſsiri. Caſi Gereius Dux Tauricanus ita in Cecoria repreſſus, vt leges pacis accipiendo, victorem, qui dabat, fateretur; cuius etiam modo Nepos poſt Caroliſonos, Pontos,

Baudiſſos, Rauenſis Arcis ergaſtula non occuparet, ſi Patrui exemplo non pugnare, quàm vinci maluiſſet. Tartarorum ingentes copiæ fuga, nedum acie, pugnaces, ſæpènumero profligatæ, quos propitium Orbi Fatum in vicinia noſtra poſuit, vt perpetuis nobiſcum bellis occupati eum vincere dediſcerent. Gaborij Tranſyluaniæ Principis exercitus in Vngaria cæſus, maiore, quàm pro tumultuario bello victoria, quã ad ipſa obſeſſæ Viennæ mænia vicimus, licèt alibi pugnauimus: illius, inquam, Gaborij, cuius nouitas fortunæ, ſuæ victrix, ſceptris luſit, & illuſit; quique alios laceſſere, ac vincere ſolitus, laceſsitum ſe, ac victum à nobis fateri maluit, quàm vlciſci, vel ita demum per Turcam vlciſci, vt gloriosiùs vtrũque vinceremus. Zaporouiorum armata licentia, armis non ſemel caſtigata, eorum nimirum, qui nouo genere claſsis æmulæ, & nomen, Imperiumque ſortitæ olim Principis Vrbium Vrbi, Orbiq. illudunt, ipſiq. adeò rerum naturæ, vt fruſtra iam catharactas fluminibus, maribuſq. obieciſſe, & cæcas nauigantibus inſidias per charybdes, & ſcyllas, & ſyrtes, & ſi quæ ſunt vera, ſeu fabuloſa, ſcopulorum vocabula ſtruxiſſe videatur. Nec Cecoria extra gloriam erit priùs victoria ſine ſanguine, deinde ſanguine ſine victoria, nobilitata. Proludium illa tantula clades, omni victoria nobilior, belli Turcici fuit, ac inauditæ fælicitatis auſpicium: vt hoc nobis eſſet Cecoria ante Chocinum, quod alijs quondam Dirrachium ante Pharſaliam, qui niſi illic ſe vinci poſſe clade accepta hoſtibus perſuaſiſſent, hic non viciſſent. Quanquam quæ victoria illa clade non victa? aut de quo triumpho illa fuga non eſt triumphatum? quando per media hoſtium caſtra & acies, noſtri magis fugantes, quàm fugientes iuere; in ipſis barbarorum caſtris, caſtra metantes, nec alijs, quàm hoſtilium cadauerum aggeribus vallantes, & decem integros dies noctesq. continenter vincentes, nec vincendi, ſi poſt tot victorias vel ſemel non vincere voluiſſent, & cautè potiùs ce-

dere,

dere, quàm cædendo fortiter cadere elegiſſent. Magnum hoc erat, Auditores, ſed maius: Smolenſcum Arx illius Septemtrionis munitiſsima expugnata, centum annorum dedecus, duorum gloria penſante, & Aui Nominiſq. ſui iniuriam Nepote ita demum vindicante, vt ſęculum hoſtium biennio SIGISMVNDI ſuccumberet, & Primus is eſſet, licèt ab eo, qui amiſit, nomine Tertius, Sceptris Quintus, qui amiſſam cum Arce gloriam nobis reſtituit, & grande hoc ſæculi ſpoliũ ęternitati conſecrauit. Neque hic illius biennij ſtetit decus: ſed fortuna obſidionis moram aliunde ſarciente, ingentes Moſcorum copiae, magnis exterorum auxilijs ferocientes, ad Kluſinum profligatę: Metropolis Imperij, re & nomine totam in ſe claudens Moſchouiam, magnitudine ſua diù ſecura occupata: gaza Imperatorum Moſcouiticorum, tot victarum gentium ſpolijs, ac ipſo opulentae pacis ſenio diues direpta; ipſe Dux cum Fratre captus; & vaſtum illud vltimi Septemtrionis Imperium nullis antè gentibus peruium, nullis armis domitum, eò non totum euerſum, quòd iam non fuerit, qui vinceretur, reliquum fortuna Imperio, vel victoriae V L A D I S L A I Regis reſeruante, ne non haberet, quod nouus hic Alexander poſt maiorem Philippo Parentem vinceret: cui ſatis tum erat partum gloriae, quòd quęri oportuerit hoſtem, nec inueniri potuerit, vt vinceretur, quòdque victor Rex eodem tempore alibi obſideret, oppugnaretque, alibi expugnaret, atque caperet; alibi hybernaret, alibi confligeret, vinceret, triumpharet. Maius hoc erat, Auditores; ſed maximum: Terror ipſe Orbis, armis S I G I S M V N D I territus: potentia, quae ex ruinis, cadaueribuſque Regum, ac Regnorum creuit, fracta. innumerabiles copię, quas Aſia, Europa, Africa, in nos ſeptenni apparatu armauerat, attritae: & in ipſum infauſtae expeditionis Caput ſuorum odia, & arma verſa; vt concuti iam, & labeſcere tandem caeperit, illa tanta moles, illa Regnorum vorago, ille Regum tumu-

 lus,

lus, Tuis, Diue SIGISMVNDE, auſpicijs, Tuis Magne VLADISLAE, periculis, Vladiſlai Aui Varnam Chocino per te Vlciſcente. Quibus propterea debet Sarmatia, quòd victrix, quòd incolumis ſtet: debet Europa, debet Orbis, quòd non ſeruiat; qui quantò magis inhorruerat tanto belli fulmine concuſſus; tantò plus poſt SIGISMVNDVM, & VLADISLAVM, debet iam nobis, quòd non perierit, quos perijſſe credebat: æternum etiam memoraturus, primos SIGISMVNDVM, & VLADISLAVM, Polonoſque; fuiſſe, qui inuictam antea potentiam non docuerunt modò vinci poſſe, ſed vicerunt. Hoc eſt Ampliſsimi Auditores, tantarum rerum compendium, hæc tantæ gloriæ vmbra, hic tantæ lucis & ſolis radiolus. Inter quæ non defuit SIGISMVNDO Regi CONSTANTIA, non illa, inquam, tantùm Regiarum virtutum princips conſtantia, qua conſtanter vbique egit: ſed virtute ipſa melior Regina Coniux CONSTANTIA, quæ in Regnum, thorum virtutes Diuæ Sororis ANNAE ſucceſſerat, immortale nomen per alia, hoc ſolo immortalitatem ipſam meritæ, quòd nobis tantum Regem genuiſſet. Aberat illa à belligerante, ſed aderat pugnanti, & cum vincente vincebat, ſiue hoſtes, dum ſuppetias cæleſtes pio Superum cultu belligeranti Viro ſubmitteret, ſiue ſeipſam, dum ſibi tantum bonum abeſſe pateretur: qua ſui victoria, eo in ſexu maxima ſe ipſa; ideſt CONSTANTIA conſtantior euadebat.

Hinc

HInc ego iam, Nobiliſſimi Auditores, cum experte armorum ſexu, & pacato Numine, ad purpuram togamq. tranſeo. Sed quis, etſi in maxima placidarum virtutum malatia, ipſam tanti Oceani altitudinem, vaſtitatemq. non timeat? Verùm ego in altum non mouebo: quamquam hic nihil non altum, nihil non ſublime, nihil non cælo propinquum. Lauream, & Sagum togæ præmiſi, quia illud prius induerat, & ſanguine ſiue æmulorum, ſiue hoſtium, in purpuram Regalem purpurauerat: vel quòd ille induto ſago nunquam togam exuit, pacis, bellique decora mira concordia ſociando. Militabat enim cum illo Religio, vel ipſe Religioni: bellabat Patriæ pietas, vel ipſe pro Patria; vincebat iuſtitia, fortitudo, prudentia: triumphabat clementia, liberalitas, conſtantia: nullumque decus militiæ, nulla belli fortuna, nulla victoriæ, ac triumphi gloria, vacua erat pacis ornamentis, ſicut nec pax belli trophæis. RaRò equidem in magna felicitate, interq. victricia arma, ac Sceptra, magnam vidit Orbis pietatem: vidit SIGISMVNDI & miratus eſt, ipſaque ſanctitatis, ac Religionis Arx, ſtupuit ad inauditæ ſanctimoniç famam, & vix non ſe victam caeterorum victrix fatebatur, dum tanta Maieſtas ſubmitteret, tam profundè Regios faſces Chriſtianç pietati, & oblita propè ſui circumferret ſe per Superum Templa, tanta inter rem Diuinam, tanta inter prolixa Sacrorum ſolemnia, tãta inter horariarum Concionum, Rituumque ſacrorum, & ipſa ſuauitate tędioſę harmoniæ, concentuſque Eccleſiaſtici prolixitatem patientia, quantę ſola par erat CONSTANTIA, & Ille, cui inerat conſtantia, aderat CONSTANTIA indiuidua comes, ſocia, aemula. Neque noctibus tanta pietas parcebat; quoties aſſumptae, quoties triumphatae mortalitatis aeterni Regis anniuerſarij redibant dies, quoties denique illi Diuino Rori, qui nobis tot ſaeculis ſalutem è cœlo rorat, illi roſcidę Aurorae cœli, antelucanis Sacris more Gentis litandum erat.

erat. Verè equidem Iagellonicus, & alter, niſi, & maior Auus IAGELLO, quem nec imminens tota illa Germanicæ potentiæ moles, nec per ludibria enſium prouocans hoſtis, nec crebri ſuorum accurſus ab altaribus auellere potuere, paratum magis, ſi optio fuiſſet, poſt rem Sacram vinci, quàm antè vincere. Ite nunc veſanæ, nouæ politiæ peſtes; ite irreligioſæ, & veræ Religionis aduerſatrices, Religiones, & aras, & mundum, ac cælum ipſum Deo ſpoliate. En ille tantus Rex, ſi fidem hiſtoriæ, quam nec Deo habetis, tam impia deliria priùs, quam naſcerentur, damnauit, & veritatem Sacrificiorum, Religionem Altarium, memorando exemplo, ac ſanguine eorum aſſeruit, quorum Nepotes ea profanaturi erant. Vixit hæc tua, ò Magne Rex, in Pronepote SIGISMVNDO Religio, viuetq. ac perennabit in Regia ipſius Prole. Nam quid & hunc aliquando, quin quotidie aris vacaret, auocauit? num negotia publica? num Regiæ curæ? num caſtra? num pericula? num valetudo? Ipſa profectò Regia, ipſa caſtra, templum erant; vt nihil in pace, nihil in bello inciperet, niſi ab aris; nihil ageret, niſi pro aris; ideſt, omnia pro ſummi Numinis cultu, & nihil niſi cum Deo, nihil niſi pro Deo: teſtante id, teſtaturoq. ſeris ſæculis victrici Aquilæ, Polonicæ labaro, quod aurea illa, & mundo, cæloq. legenda verba, lunaribus barbarorum ſignis formidoloſa, circumtulit: TECVM PRO TE. ò nouum contra nouos Maxentios Conſtantinum! cum Cruce, pro Cruce dimicare ſolitum, & tota vita tam Religioſum Crucis veneratorem, vt ei moribundus ſacra trophæa ad Varſauiam erigeret. O nouam etiam Helenam, & nouorum Conſtantinorum Matrem CONSTANTIAM! non inuentricem quidem Crucis, ſed piam cultricem, ac geſtatricem: cuius & in hac Baſilica admirandam effigiem, Cognatæ Diuæ olim locutam, ſumma pietate viuens coluit, & propè moriens, reticulato velamine propria manu intexto, ornauit; ſic ociari ſueta, vt ſem-

per

per laboraret; ſic laborare, vt ſuauiter ociari ſibi videretur: quoties ocium texendo, ſuendoq. impendebat, vel egentibus veſtiendis, vel aris Superum ornandis. Taceo illa, quæ pro ſe ipſa loquuntur, æternæ pietatis monumenta: Templa magnificè ſtructa, ornata, ditata; Collegia fundata; Oratoria, Altariaq. erecta; oſſa Diuorum aureis, argenteis, marmoreis vrnis condita. Iam ſe tot baſilicis ſtructuris, tot magnificis fabricis, æternitati inſeruit eorum pietas: iam vtriq. Diuus Cælorum æditúus templum immortalitatis reſerauit, pro eo, quod hac in Vrbe illi Regio ſumptu poſuiſſent: iam duo illa Sarmatici Orbis auerrunca Numina, veteri nouoq. Regalis Aquilæ nido incubantia, tam eximios ſui cultores ibi conſalutarunt: iam ſanctiſſima Auſtriacæ, atque Iagellonicæ ſtirpis Propago, recognouit ſuos Nepotes ara, loculoq. argenteo, atque Sacello marmoreo ſumptuoſiſsimè Vilnæ ſtructo ab eis honorata: iam cæteri Diui, Diuæq. ſuæ immortalitati conſociatis applaudunt; ſua ſimulacra ſolido auro fuſa,& venerationi publicæ ſæpiùs expoſita, è cęlis conſpicati. Iam denique ipſa cælorum, Diuumque Regina, & Filius Deus Rex, æternùm beant ac præmiantur tantos ſui veneratores, rependuntq. argenteas, & aureas ſtatuas, baccata, plumataque Sacrificalis apparatus ornamenta, aureos calices, candelabra, lampadas Sacrę Czeſtochouienſi, Lauretanęque aedi, ac alijs dicatas: quae parum erat, ingenti parauiſſe ſumptu, niſi pleraque proprijs manibus ille ipſe Rex (non contentus aurum in Dei cultum profundere, quin & funderet, & opes, opuſque Superis deuoueret) pinxiſſet, caelaſſet, ſculpſiſſet, digno Regibus ocio, digno cœlitibus cœlo, ac penicillo, dignis tali Apelle, atque Lyſippo, Superis, cùm & ipſe dignior vel Alexandro eſſet, ab illis ſolis pingi, fingique. Quàm diſpar, Optimi Auditores, multorum Regum ocium vix non muſcas cum Domiciano venantium: vt non paucos habeat imitatores perdendi ocij ille, qui, vt frater vnum diem perdidiſſe.

didiſſe queri deſineret, omnes perdidit. Non ſic pietas ociari ſolet; nunquam magis, quàm in ocio negotioſa; nunquam minùs, quàm inter negotia ocioſa; ingenioſa Magnorum Regum Magiſtra, nec modò per vacuas non indignae Regibus, iucundae quidem artis occupationes, ſed operoſae etiam agriculturae labores, Regias manus exercere ſolita, qualibus Diuum, vicinae & cognatae gentis, Regem, in diuiniſsimi vſum Sacrificij exercuerat, dignum tali agricultura Agricolam, dignum tali Colono cœlum. Sed quidni SIGISMVNDVS Rex, totum quod habuit, totum quod ſciuit, potuitque, Superis impenderet? qui totum, quod erat, deuouebat: vt non fruſtra à collo Regio pependiſſet illa aurea Religionis theſſera, illud venerandum Catholici pectoris geſtamen, & ſanctiſſimae ſocietatis pignus, quod ſecuriùs in ſacrario Regij pectoris Religioſa Hiſpania, quàm in Colchico templo, neſcio quis Frixus, aut Areſtes ſuſpenderat, & ſi fas tantam veritatem per fabulas loqui, veriùs tàm pius ſacri metalli geſtator in cœlum relatus, quàm inter ſydera aureo vellere diues, ſed ſpoliatus, aries. Nam quidni eum cœlo inſeruiſſet Religio, quàm terris longè, latèque ipſe inſeruit? Sed enim ò nouum Septemtrionis Apoſtolum! ò admirandum Diuinumque errorum profligatorem! qui nouis pro Religione, nouis contra Haereſim armis, quia ſine armis dimicauit, & pace ipſa Religionis hoſtes profligauit, ſine pugna expugnauit, ſine bello debellauit, quin dictu mirum! ſeruando perdidit: ſed vel ipſi iſti profligati, expugnati, debellati, perditi, iam laeti fatentur, ſe perituros fuiſſe, niſi ſic perijſſent. Alia nimirum arma neſcit, niſi beneuolentiae, libertas, cogi neſcia, flecti facilis, dura frangi, & contra omnes ſeruitutis cathapultas obſtinata. Res pro me loquitur, Auditores, & vel is ipſe Rex, niſi facere glorioſa, quàm loqui maluiſſet, veriùs praeclariuſque gloriari potuerat, ſe non Romam pro lateritia, marmoream, vt ille, ſed Poloniam magis Catholi-

tholicam, quàm acceperat, reddidiſſe. Verùm, qui tacere poſſum, cùm de Religione SIGISMVNDI loquor, Religionem ipſam, vel viuum eius ſimulacrum, Reginam CONSTANTIAM? Vixiſſet illa adhuc, Auditores, niſi gentilitius in cęleſtem, qui Deus eſt, CIBVM, cultus, cùm poſt terrarum Imperium iam pridem Auguſtę Genti ſuę datum, dare hic plus non poſſet, Cælum dediſſet, & Illa VITAM ipſam per torridas Varſauienſis Vrbis vias, ſupplici, & venerabundo inceſſu comitata, vitam amiſiſſet; quando non tam cælum toto ſole terras torruit, quàm Diuinus ille SOL, cæleſti cor amantis igne; vt duplici ſole hæc noſtra Phœnix vſtulata, in nouam vitam conflagrarit: ſed cuius poſthumi Cineres, in nouam, & rediuiuam CONSTANTIAM, Magnorum Regnorum Regnatricem repullulaturi, breui recaleſcent. Cęterùm, non erat ſatis Regibus noſtris. Auditores, pios in cęlum fuiſſe, niſi & in Patriam eſſent: quippè eadem pietas Cælum colit, & Patriam amat: neque in illud quiſquam pius fuerit, in hanc ſi impius, cęlum ipſum, & viuum Superum domicilium complectentem. Quanquam verò non ſatis liqueat, magiſnè Reſpubica noſtra SIGISMVNDO Regi Patria fuerit, an ille ei Pater; vtrumque tamen æquè indubitatum eſt; quia & illa genuit eum Regem, cùm fecit, & is Rempublicam, cùm ſeruauit: vt iam ambigere orbis non poſſit, & grata fateatur Polonia, SIGISMVNDVM Tertium PATREM PATRIAE fuiſſe. Verumenimuerò parcite iam, piæ illorum Mentes, parcite, ſi quid in veſtram hanc pietatem error, vel aduerſatrix bonorum inuidia peccauerat. Iam innocentiam veſtram, Cęlo iudice ac vindice, aſſeruiſtis, ipſius inuidiæ, vel maleuolentię palinodia approbauiſtis, Sanctiſsimo Supremarùm tabularum teſtimonio coronaſtis: quanquam non oportuit Vobis tutam ſe ipſa innocentiam, alio, quàm fido lætiſ-

lętiſsimę conſcientię teſtimonio munire. Munierat ille quidem hoc potiſſimùm, Auditores: ſed prętereà alijs caritatis in Patriam monumentis, quę dimidium hoc Imperij ſęculum totis duratura ęuis reliquit. Leges, quibus libertatem; fabricas, quibus Regnum; trophęa, quibus Gentem; beneficia, quibus Rempublicam; ſanctiùs Ludouico, elegantiùs Caſimiro, glorioſiùs Boleslao, liberaliùs Auguſto, propagauit, exornauit, illuſtrauit, cumulauit. *N*eque cùm ipſe ſic Patriam, ſic Ciues amaret, amari ſe ab ijſdem vnquam diffidebat; quin vel ipſo Diuo Auo fidentiùs in ſinu ſubditorum tuto ſuę dignitatis, atque fortunę repoſitorio ad ſecuri prolubium ſomni conquieſceret. Huc ſpectaret memorare, Auditores, illam Regnorum Gubernatricem, Vrbium, populorumque Rectricem, ac generis humani conſeruatricem Iuſtitiam, niſi eam ſibi magis vindicent leges, quàm Reges. Scilicet cùm illę plectere malos, ornare bonos iubeant, non minùs ad Reges, quàm ſubditos ſanctiſsimi ſpectat gloria obſequij, ſi & iſti nec committant, quod puniendum; & faciant, quod pręmiandum Regibus foret; & illi vtrobique pro meritis cuiuſque ęquabiles ſe prębeant. *N*oſter equidem alterum digna Rege beneficentia, alterum pręſcripta legibus pręſtitit ſeueritate; & quamuis pręmia augeret liberalitas, pœnas moderaretur clementia: incorrupta tamen ſub vtraque ſtetit bilancis Iuſtitię ęquilibritas. Quin tametſi idem Rex ſinceriùs damnatorias odiſſet literas, quàm ille, qui ſcilicet adeò neſciuiſſe literas optauerat, vt vel ipſum, à quo eas didicerat, morte vltus fuerit; & quoties tam bonus Rex damnare cogebatur, priùs ipſe ferè lacrymas cum Biante, quàm damnatus ſanguinem, fundebat; nunquam tamen iuri, ac legibus iniuriam fecit, quòd ſi pepercit, aut mitiùs mulctauit, clementię crimen erat, ſi peccare poteſt, quę in ipſam ius habet Iuſtitiam. At mea ad clementię nomen lęta re-

ſtitat

ſtitat oratio placidę inhęrere ac immorari virtuti cupida, nec ignara, Regis illam noſtri ſpiritum, & animam fuiſſe. Quid enim inter tot Regia decora tàm ſuum erat, quàm clementia? vt cùm ille cætera, hæc ipſum poſſideret, & parum interſit, pauca, multauè eius documenta referre, cuius totum quod vixit, totum quod Regnauit, clementia erat. Iactet & ad cælum ferat, illos ſuos Iulios, Titos, Traianos, Theodoſios, nimia ſui miratrix, atque laudatrix vetuſtas: non eſt, quod illi inuideat noſtra ætas; imò erit, quod noſtræ ſequens inuideat, in vno SIGISMVNDO omnia antiquitatis miracula complectenti. Hac ille pepercit reis, vt ſeruaret: hac ſeruauit inimicos, vt benefaceret: hac benefecit omnibus; vt beneficium accipere cùm daret, videretur. Verè cunctis aureus, verè laureus, quia beneficum, & ſine fulmine Numen: quod nimirum ſemper benefaceret, ſed bonis, & dignis: nunquam fulminaret, niſi hoſtes, vel malos. Ab eodem ſanè Regiæ clementiæ fonte ille nouus beneficentiæ fluxit Hermus, aut Pactolus; ſed non quem fabuloſus Midas auro, nimia eius copia inops, fluere, ſed qui multos veriùs Midas auro, diuitijſque affluere, & ipſam Poloniam, ſæculumque noſtrum fæliciùs Saturnio aureſcere feciſſet. An enim præterijt dies in tot annis, quin per SIGISMVNDVM fauſtus, & beneficus alicui fuerit? eo ipſo vltra amorem, & delicias humani generis prouehi meritum, quòd non tantùm perdidiſſe diem, ſed etiam beneficium nunquam queri potuerit; ita beneficia collocare ſolitus, vt non tàm precibus, quàm meritis daret, præclaro documento, Regibus nec aures in pedibus, neque in auribus beneficentiam eſſe debere. Quin tardare maluit beneficia, quàm perdere, vel tardare; quia nemini negare voluiſſet, qui omnibus benefacere cupiebat; vel quod mallebat, vt mora competitoribus repulſam diceret, quàm ipſe; vel nouas per illam benefaciendi occaſiones operiebatur.

tur. Prudentiæ hoc, & veræ Maieſtatis erat, Auditores, non tantùm Regiè, ſed & maturè liberalitatem, quam feſtinatio ſæpe corrumpit, exercuiſſe. Sed quoniam mentio mihi prudentiæ incidit, iam hic campus eſſet, ſi & tempus, eadem virtute ſapientiſsimi Regis laudes coronare, quæ actiones coronauit. At quicquid à me memoratum eſt, opus prudentiæ, & verè Regij erat iudicij, quod à natura ingeneratum literis expoliuerat, Regnandi vſu, qui optimus eſt Regum Magiſter, perfecerat. Sanè diuiniùs humana prudentia, ſapientiùs omni ſcientia erat, ſciuiſſe Regnare, cum qua Ille arte Regibus ad Regna natus, eamque intra ipſa Regnatricis Domus cunabula, lareſque ante Regnum edoctus Regnare, prius ſciuit, quam cæpit; ac deinceps Regnando Rex eſſe meliùs didicit, ſciuitque, quam Lacon ille liber eſſe, eo ipſe prudenti antiquitati nihil neſciuiſſe viſus, quia hoc ſciuiſſet. Quòd ſi verò qui non intelligit artem, non miratur artificem, nec ignarus operis laudat opificem: quid mirum, ſi tantus in arte Regnandi Rex, aliquem vel admiratorem non habuit, vel obtrectatorem habuit? Non patent tantæ ſcientiæ abdita paſſim omnibus, Auditores, nec Imperandi arcana aſſequitur imperitum, & ſola parendi diſciplina doctum vulgus. Hinc ſi è plebe quis Reges vel taciturnitatis argueret, vel cunctationis accuſaret, vel pertinaciæ damnaret; is neſciret, vacuis ſonum, plenis, ſolidiſque pondus ineſſe; & Regibus pro verbis res eſſe, vel quot verba, tot oracula, eoque rariora: nam & Dij ipſi venerationem, maieſtatemque olim amiſiſſent, ſi crebris, ac verboſis oraculis, mortalium auribus obſtrepuiſſent. Neſciret etiam cunctatione victricem orbis Vrbem, quam feſtinatio propè perdiderat, ſeruatam; rerumque humanarum naturam eſſe, vt quæ citò fiunt, citiùs euaneſcant. Fælix equidem cunctatio illa, fælix tarditas, qua ita tardè conſulebatur, vt non ſerò ageretur; vel ita cunctan-

ter

ter agebatur, vt tempeſtiuè conficeretur; vel denique ita per omnia tardè Regnabatur, vt tardè deſineretur, neuè citò cum Regno gloria: quorum alterum ſalutaris illa cunctatio in tardam protraxit ætatem;alterum ſera poſteritas ita obliuiſci tardabit, vt ſemper meminerit, memoretque. Neſciret demum, eoſdem Reges tenaces eorum, quæ diù penſitauiſſent, eſſe oportere, nec leuiter ab eis deſeri, quod grauiter ſuſcepiſſent: vt potiùs hanc in illis immobilem dixeris animi firmitudinem, quàm pertinaciam, quæ tamen inter virtutis cognomina locum inuenit, dum ea magnis Imperatoribus impoſuit. Neque verò natura mentem tantæ molis capacem, quin vnà & perſonam, vtraque dignam, formauerat: vt non tantùm ipſe Rex eſſe ſciret, ſed & omnes Regem, ex ipſa vultus Diuinum quid ſpirantis dignitate, & in Regibus tantùm, ſed raro, viſa totius corporis Maieſtate, quæ tota Regem ſpirabat, Regem narrabat, vt ne quis errare in illo, ceu Alexandro Magno, aut Loctico noſtro, poſſet. Solis Scæuolis, quia hic non Porſenna, aberrandum erat: quo nomine, imò & ſuo indignus ille, cuius ſacrilega manus flamma, ſed non Scæuolæ, arſit, omnibus flammis digna, nullis expianda. Iam me etiam Regis noſtri fortitudo ad ſe vocat, etſi victus dolore animus reuocat: ſed de illa iam dixi, cùm bella, cùm pericula memoraui, contra quæ murus aheneus ſtetit ille VNICVS in Orbe Regnatricis Domus IVNCVS,ita procelloſæ flatibus, fluctibuſque fortunæ obnoxius, ac expoſitus, vt ipſo facili flexu, ac reflexu, omnes turbines, ac tempeſtates eluderet, ac ſæuienti fortunæ in ipſo motu immotus, infractuſque illuderet. Neque idem Rex, quem illabentis Orbis ruinæ citiùs oppreſſiſſent, quàm terruiſſent, nec vlla incumbentis mali vis fregiſſet, contra fauentem obſecundantis fortunæ Fauonium, quæ ſæpè aduerſæ victores vicit, imbecillior fuit, tantò glorioſiùs aduerſa vincere ſolitus,

 quantò

quantò fortiùs ſe ipſum in proſperis. Plura de fortiſsima virtute loqui; nec vacat, nec decet, inter flebiles imbecilli animi ſingultus, qui æquè fortitudinem dedecent, ac vincunt. Verùm mihi, qui in principio dicendi totum dixeram, ita demum finiendum eſt, Auditores, vt totum ſuperſit dicendum. Ea nempè iſtius temporis, ea ingenij mei, in tanta rerum copia eſt inopia. Saltem cum inuicta fortiſsimi Regis conſtantia finire libet, quia ipſe cum CONSTANTIA finiuit: cum illa, inquam, CONSTANTIA, qua ſuperſtite conſtantior omni rupe ille Rex fuit; vbi hæc fatis ceſſit, dolori & ille, quia amiſit CONSTANTIAM. Sola nimirum tam inuicti Regis conſtantiam labefactare potuit CONSTANTIA, quanquam in cæteris durauit illi ad ipſam, imò contra ipſam mortem, vt nihil eo in vita, nihil in morte fuerit conſtantius. Sed mea ſibi non conſtat, quin tota hic iam emoritur oratio:& vel ipſam linguam tantę mentio mortis elinguem reddit, vt nec poſſit, cùm maximè debeat, ad duram fatorum legem ipſos exleges plectentem Reges exclamare, nec lamentabile illud, Heu, ad tantam Orbis iacturam ingeminare. Leui hoc robur ineſt vulneri, Auditores: at noſtrum in vulnere vulnus, & peiori vlcere redulceratum vlcus, magnitudine doloris ad ipſam inualidum eſt doloris vocem, quin & lacrymas vnicum doloris leuamentum. Itaque cùm ſoli duntaxat gemitus pro voce, ſingultus pro lacrymis dolori ſuperſint, vel in ipſa eſt conſtantia obmuteſcendum. Verùm quamuis cum hac omnium coronide virtutum, finem habeat oratio mea, Regiæ tamen virtutes, multiplici coronamento Regalem Coronam, gentilitiumque faſciculum contexentes, non habent quibus memorandis, quòd nec tempus ſufficiat, nec ego, vererer iniurius in eas videri tacendo, niſi in alias magis fuerim dicendo. Quid enim dignum à me de tanta virtutum Maie-

ſtate

ſtate dici potuit? Sed ignoſcite, Sanctiſsimi Manes, quicquid dixi, quicquid tacui: & dum ego finem facio, vocem Patriç noſtræ, imò & Veſtræ, Vos alloquentis propitij è cœlo accipite.

Quandoquidem, ò immortales Animæ, Supremo Regnatori Deo placuit, me, Vobis cœlo receptis, orbauiſſe; ſicut æternæ fælicitati Veſtræ inuidere, ita meam infelicitatem ſatis deplorare nequeo. Amiſi enim non Reges, non Dominos; ſed Parentes, per quos incolumis, florens, beata ſteti. Inauguraſtis me, & conſecrauiſtis æternitati, Religione ac pietate veſtra, illuſtraſtis gloria: felicitate beauiſtis; armis defendiſtis; iuſtitia conſeruauiſtis; liberalitate ornaſtis; fouiſtis clementia; prudentia rexiſtis; fortitudine ſtabiliuiſtis; conſtantia muniuiſtis. Quid multa? quicquid bonum, aut magnum, in ſolio meo antea ſedit, per Vos recepi, quicquid impar, aut indignum in vobis compenſaui. Aboleuiſtis illa corporis, & Maieſtatis dehoneſtamenta, quorum me in Kriuouſtis, Nigris, Laſconogis, Locticis, niſi animi, virtutiſque honeſtamenta præualuiſſent, puduiſſet: reddidiſtis, quicquid decorum in Criſpis, Albis, Pulchris, habui: reſtituiſtis vetera illa virtutis cognomina, Chobros, Iuſtos, Pudicos, Probos: viciſtis fortitudine Audaces, gloria, Magnos, fælicitate Auguſtos: reliquiſtis ex Vobis, qui mihi pro Vobis Imperent, qui meas pro Fridericis Cathedras, Senatumque ornent; quos denique Orbi ad capeſſenda aliorum Regnorum Sceptra accommodem. Pro tantis Veſtris in me beneficijs, cùm me totam Vobis, Veſtriſque cultu, obſequio, veneratione, deuoueo: præſtare tamen non poſſum, quin Vos Veſtra in me beneficia magis cumulare poſſitis, quàm ego exoluere. Quare agite, Fælicisſimæ Mentes, Regem Regum, cuius in Regno meliorem perpetuatis vitam, mihi propitiate; & fælicibus Sceptris, pioque

Imperio Veſtro tot annis Regnatę in Primogenito Filio', rediuiui,ac perennes Regnate in Regia poſteritate ęternum ſuperſtites viuite, & fauſtum illud VIVAT, quod Electo Regi meo nuper tota inclamaui, immortale, ac ſempiternum efficite.

D I X I.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D.D.

GEORGII OSSOLINSKI,

Comitis de Thenczyn, S.R.I. Principis, Regni Poloniæ Curiæ Theſaurarij, &c.

ORATIO

Habita ab eodem Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Romæ in Aula Regia Vaticana ſexta Decembris M.DC.XXXIII.

Cum Sereniſsimi, ac Potentiſsimi VLADISLAI IV. Regis Poloniæ, & Sueciæ, Electi Magni Moſcorum Ducis, nomine S.D.N. VRBANO VIII. Pont. Max. obedientiam præſtaret.

Digitized by Google

HIC ille eſt Georgius ex Comitibus à Thenczyn Oſſolinski, S.R.I. Princeps, quem nemo nouit, quin eum Chriſtianarum, Moralium, Politicarum virtutum, velut perfectum quoddam exemplar prædicauerit. Cuius eloquentia in Pontificum, Cæſarum, Regum, Rerumpublicarum probata conſpectu (cum per eum Sigiſmundus Poloniæ, & Sueciæ Rex Iacobum Angliæ in Turcici belli ſocietatem inuitaret, Vladislaus Quartus Vrbano Octauo obedientiam præſtaret, Venetorum Reipublicæ, amicitiam deferret, & tandem Cæſari Ferdinando Secundo, & ardenti bello Germaniæ ſe magnum pacificatorem offerret) plus laudis ac plauſus habuit, quàm meus nunc calamus exprimere queat. Hoc tantum addam, Illum orbi, & fama, & facie notum, per diuerſos meritorum honorumq.

gradus, ad Palatinatus Sendomirienſis dignitatem cuectũ, demùm Procancellarium Regni eſſe renunciatum, vniuerſa agnoſcente Polonia in Vladislao Quarto iudicium planè Regium, quod Oſſolinium, quem ab ipſo eius ad Rempublicam acceſsu Regia gratia digniſsimum ſemper iudicauit, ampliſsimis honoribus exornauerit.

Illu-

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D.D.

GEORGII OSSOLINSKI,

Comitis de Thenczyn, S.R.I. Principis, Regni Poloniæ Curiæ Theſaurarij, &c.

ORATIO.

VENIT iterum Romam Vladiſlaus, Pater Beatiſsime, & qui nuper Barbaricis ornatus laureis, ad Tuos Pedes venerabundus iacuit, is hodierna die triplici cinctus diademate, ante hanc Apoſtolicam Sedem Tuam, per me Oratorem ſuum ſupplex procumbit. Vladiſlaus, inquam, Poloniæ, & Sueciæ Rex, ac Magnus Moſcorum Dux, qui antequam regnaret, Regum, ac Regnorum Tyrannos debellauit, qui Romam triumphator ſine triumpho ingreſſus, pia vota, & Pontificiorum Pedum oſcula triumphalibus prætulit; qui cum videri,

Digitized by Google

videri, noſcique maximè nollet, Vrbis, & Orbis oculos in ſe conuertit; qui noua Tyberim fœlicitate beauit, cum citrà Rhenum fluere ſolitum, inuicta dextera, vltra Tyram, ac Boriſthenem traxit; qui denique deſertori Populo, Græcum Conſtantinianæ donationis diploma è ſuperba Gaza cripuit, tanquam pro Romano Pontifice pugnaſſet, cui Romam, hoſtium etiam ſpolijs, aſſeruit. De hoc tali, ac tanto Principe Tibi Pater Beatiſsime, non in cunis, ſed in ipſo gloriæ, ac rerum geſtarum faſtigio, non fama, ſed aſpectu, ac familiaritate noto, quid in hoc ampliſſimo Orbis Theatro afferam, haud reperio. Iam enim Olim ſapientiſsimo Tuo iudicio omnes eius penetraſti, ac percenſuiſti virtutes, eaſque vti probè cognitas, quæ liberæ gentis ſceptra moderentur, dignas iudicaſti, cum non ità pridem Vladiſlaum vnum eſſe, qui Polonis imperare queat, ſolemni commendatione aſſeruiſti.
Hùc ergò potius mea deflectat Oratio, vt quos, qualeſque Populos Tibi, Sanctæque Sedi Tuæ ſupplices Rex noſter ſecum offerat, declarem. quod dum exequor, Pater Beatiſſime, Paterno affectu fauebis filij, Pontificatus tui natu minimi, glorioſis conatibus. Solemne enim Patrum eſt, eorum geſtis potiſſimùm recreari, quos recentiori, ſiue lucis, ſiue gloriæ partu Orbi ediderint. Quidcumque ergo gentium Septemtrio tegit, quam latè à Carpathijs Montibus ad Caſpium Mare, à glaciali Oceano ad Pontum Euxinum patet Europa, totum id genuflectente Vladiſlao, ante Thronum Tuum proſternitur, Pater Beatiſsime. Omnes enim illę gentes, aut liberis ſuffragijs eum ſibi Regem dixerunt, aut hæreditario iure, licèt refragę, ad eius ſpectant Maieſtatem, aut denique armis ſubactæ Dominum recognoſcunt. Sed primum meritò locum obtinet Polonia, quæ vti Principibus ſuis liberè patet, ità Religionem, & Sacra nulla vi, nullo metu adacta colit. Illa, illa Sarmatia, Romanorum armis imperuia, Romanæ Religioni

gioni mancipata, Illa, tot olim ſuperſtitionum altrix, nunc vnius Dei ſerua, illa libertatis cuſtos acerrima, nullius iugum experta, Romanis Pontificibus, eorumque Sedi Apoſtolicæ obſequentiſsima. Polonia, inquam, quæ ſola monſtra non parit, Nulla inde hęreſis, nullum ſchiſma, & ſi qui vicinarum gentium peſte afflati, acerrimo legum ſupplicio, & perpetuę infamiæ nota, à reliquæ nobilitatis corpore reſcinduntur. Si quis legem, Vladiſlao Iagellone Rege latam, totius Nobilitatis, patrio more, conſenſu firmatam, legerit, fatebitur, nullius Concilij anathema acrius hæreſim perſtrinxiſſe. Et quamuis iniquitati temporum, amorique conſanguineo aliquid indulſiſse videamur, non tamen, legem abrogari, vnquam paſsi ſumus, nec patiemur, teſtaturi poſteritati, nos legum, Patriæque ſalutem, vnius Religionis integritate firmaſſe. Hoc ipſo lugubri nuper Reipub. noſtræ Statu, cum Sigiſmundum Regem, viuam pietatis, Religioniſque imaginem, Cęlo receptam, terris ereptam planximus, vidiſſes, Pater Beatiſsime, illis ipſis centuriatis Comitijs, Senatum, Populumque Polonum magis pro Religione aduerſus conciues ſuos, dira hæreſi corruptos, certantem, quàm de communi Patriæ ſalute, aut de futuri Principis electione ſollicitum. Aequauit feruor Procerum curam Antiſtitum, eorumque, & Tui Apoſtolici Nuncij ſolemnes exciuit gratiarum actiones. Innatum ſcilicet genti Polonę auitę Religionis Studium. Hinc illa erga Sacrorum Pręſides obſeruantia, quę eis prima in Senatu Subſellia detulit, & pręcipuas Reipublicę partes curare iuſsit. Tacebo prodigam, vt ita dicam in Templorum ędificia, ac ornamenta liberalitatem: Omittam cultum Numinis, & ſacrorum feruentiſſimum; hęc enim omnia ita ſe habere Orbis conſenſus aſſerit. Animorum certè eius gentis Magnitudinem, vel inde colligere licet, quòd à tot ſęculis aduerſus feros, & immanes nominis Chriſtiani hoſtes excubent;

nec

nec ſtationem deſerant. Ottomanorum ſigna, quę tot Acies, tot Vrbes validas expugnarunt, tot Montium clauſtra penetrarunt, Fluminumque impetus ſuperarunt, tot Chriſtianorum copias fuderunt, nuda Polonorum pectora ſteterunt, & ne patentes, ac peruios ingrediantur Campos, hucuſque prohibuerunt. Scythicam pernicitatem, ne vniuerſam, quaqua verſus, peruagetur Europam, vnica Reipub. noſtrę moratur Prouincia. Moſcos ſolo nomine Chriſtianos, re, & moribus quibuſuis barbaris execrabiliores, toties vicimus, fudimus, & demum nobiliſsimam eius Regionis partem in Prouinciam redegimus. Hęc omnia ſumma animi Magnitudine, ac prorſus Romana ſteterunt. Parentauimus ſiquidem antiquę Vrbi, Maiorum noſtrorum ferocia lęſę, cum in eius mores, & inſtituta tranſiuimus. Hinc libertatis ſtudium, hinc ęqui, iuris, ac legum amor; hinc maſculę frugalitatis exempla, nil in moribus, nil in habitu corporis molle, vel effęminatum, nil acu pictum. Iuuentus praetextam, non in Cytharędorum gymnaſijs, ſed intra caſtra deponit. Equitibus rura paterna colere haud pudendum, nè vrbanis eneruati delitijs, bello fiant ineptiores. Humiles domos plerumque habitant: ſed excelſos animos fouent; non Propugnaculorum, non Pontis Sublicij: ſed legum, & innocentiae praeſidio tuti. Neque verò hanc Magnanimitatem, ferociam quiſpiam dixerit. Cicurarunt Sarmaticam, ſi quae fuit feritatem, Religio, & Muſę latinae. Has vbi è Septemtrione deuolutę gentes Latio mouerunt (credo equidem) caſtra ſecutas, eique vitae aſſuetas, Heliconi ſuo propè vltimum vale dixiſſe. Gentem profectò noſtram adeò ſibi manciparunt, vt ſine earum praeſidio, & ornamento militarem gloriam minus glorioſam aeſtiment. Et merito: earum enim beneficio libera Nobilium capita de ſe ipſis decernunt magno Nobilitatis ornamento. Neque à ſcholarum cathedris interpretes petimus,

latino

latino freti eloquio, quod vna cum moribus, & inſtitutis in partem gloriae noſtrae lubentes aſſumpſimus. Talis itaque, & tanta Polonia ad Tuos Pedes prima procumbit, Pater Beatiſsime, illud collum, nullius vnquam iugum ferre ſolitum, illas manus liberas, illum animum excelſum, & ad imperandum natum, Regis ſui exemplo, Maiorum inſtituto, Tibi ſubmittit. Tuis auſpicijs ſe Vladiſlaum Regem dixiſſe, ac proinde eum Tibi debere profitetur. Tu enim geniales Diuos Primum, ac Fælicianum Roma diſceſſuro, in Sacris cineribus tribuiſti, non ſine Pontificio omine, eum primum Regum noſtrorum fore, qui ſine æmulo; fœliciſsimum, qui coniunctiſsimis tam populoſæ gentis animis, & ſuffragijs Rex diceretur. Tuis ergo auſpicijs Pontificum Maxime habet Vladiſlaum Polonia, Vladiſlaus Poloniam. Tu vtrumque. Habebis, Deo fauente, Vladiſlai inuicta dextera tandem aliquando Tibi, Sanctæque Sedi Tuę manſuefactos Scandicos rebelles leones. Habebis, & deſertores communis Paſtoris ad Tuum ouile propediem reduces. Exiuit etenim, Pater Sancte, filius hic Tuus, non ętate, & meritis, aut maieſtate, ſed capeſsitæ Regię dignitatis tempore minimus ad venationem, vt te ſatiet, famemque Tuam impleat, auidam gloriae Summi Dei, inde longęui auſpicaturus primordia imperij, vnde Cœli, & Eccleſię ruinas ſperat reparandas. Erige hanc Tuam dexteram Pontifex Optime Maxime, qua neſcio quo turbine motum, ac penè ruentem Orbem retines, ſummo huius ſęculi bono dudum deſtinatus, & ſancta benedictione proſequere tam chari pignoris pios conatus. Excitabuntur hoc praeclaro exemplo reliqui Chriſtianorum Principes, & poſtpoſitis pernicioſis eorum nomini, & gloriae odijs, illuc arma conuertent, quò nefarij Imperiorum prędonis libido, iam tandem vindicanda, vocat. Vladiſlaus certè Rex, vti nunc, ſe Re-

gna-

gnaque, & arma ſua Sanctitati Tuę tradit, obedientiam prȩſtat, nec ſe ab huius Sanctę Sedis auctoritate, & obſeruantia, vnquam diſceſſurum, profitetur; Ita Te Duce, Te auſpice paratus ſemper erit Chriſtianorum Aquilas, notis ſibi itineribus non ſequi, ſed prȩire.



Illu-

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D.

GEORGII OSSOLINSKI,

Comitis de Thenczyn, S.R.I. Principis, Regni Poloniæ Curiæ Theſaurarij, &c.

Ac Sereniſs. & Potentiſsimi VLADISLAI IV. Poloniæ, & Sueciæ Regis, Magni ad Sereniſsimam Rempublicam Venetam Legati.

ORATIO

Habita ab eodem Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. coram Sereniſsimo Venetiarum Principe, Alijſque Proceribus. Die XIV. Ianuarij M. DC. XXXIII.

Digitized by Google

gnaque, & arma ſua Sanctitati Tuę tradit, obedientiam pręſtat, nec ſe ab huius Sanctę Sedis auctoritate, & obſeruantia, vnquam diſceſſurum, profitetur; Ita Te Duce, Te auſpice paratus ſemper erit Chriſtianorum Aquilas, notis ſibi itineribus non ſequi, ſed pręire.



Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D.

G E O R G I I
OSSOLINSKI,

Comitis de Thenczyn, S.R.I. Principis, Regni Poloniæ Curiæ Theſaurarij, &c.

Ac Sereniſs. & Potentiſsimi VLADISLAI IV. Poloniæ, & Sueciæ Regis, Magni ad Sereniſsimam Rempublicam Venetam Legati.

O R A T I O

Habita ab eodem Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. coram Sereniſsimo Venetiarum Principe, Alijſque Proceribus. Die XIV. Ianuarij M. DC. XXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

HOSPITAE non ita pridem ſuæ, nunc amicæ, & ſociæ veſtræ huic Sereniſsimæ Reipublicæ, gratum lauti, & luculenti hoſpitij animum teſtaturus Vladislaus Poloniæ & Sueciæ Rex Sereniſſimus, eadem Legatione, qua Supremo Dei in terris Vicario obedientiam præſtitit, Amorem, & beneuolentiam ſuam declarare voluit. Non oppreſſit graue tantorum Regnorum diadema, præteritorum temporum memoriam, nec extinxit totius penè orbis, feruens erga eius Maieſtatem cultus, acceptorum olim ab amicis officiorum gratitudinem. Et reliquorum quidem Principum arcta conſanguinitatis, aut affinitatis neceſsitudo, iure quodam ſuo, omne genus be-

Digitized by Google

neuolentiæ erga peregrinum tùm Principem repoſcere videbatur; Sereniſſimæ huius Reipublicæ humanitas, quò liberior, eò accidit Regi meo gratior, eiuſque porrò recordatio, in Regia ipſius Maieſtatis mente, viget iucundior. Viget & gratitudo reciproca, quam eius Maieſtas iuſtitiæ partem eſſe omnino arbitratur, nec eum qui mortalibus ingratus fuerit, Deo debitam præſtiturum pietatem. Ab hac autem auſpicatus fauſtum ampliſsimarum ditionum Imperium, illi quoque litare voluit, & Sereniſſimæ veſtræ Reipublicæ bono, quidquid acceſsit dignitatis, potentiæ, fortunæ, candido deuouere animo. Duos Polonorum Reges hoſpitio exceperunt Venetiæ, ſed hunc meliori omine, illum enim aduerſa fata è ſecuro throno ad tragica patriæ ſceptra rapiebant, huius laureato (poſt tot erecta de Barbaris trophæa) capiti, non fortunæ, ſed virtutis manibus fabrefactum diadema iam tunc cælum deſtinabat, ac proinde in partem ipſius gloriæ, & fortunæ hanc quoque Rempublicam vocabat. Nec verò ſolùm ius hoſpitij eum, Amorem, quo hanc Rempublicam Sereniſsimus Rex meus proſequitur excitauit, veſtra libertas, in Rempublicam Chriſtianam merita, religionis integritas, in colendis amicis conſtantia, in proſperis ſumma moderatio, in aduerſis infracta magnanimitas, amare Venetos, & admirari iuſſerunt. Nempè in ſinu libertatis natus, eiuſque lacte educatus Princeps, veneratur nutricis ſuæ antiquiſsimum cubile, in quo poſt varia naufragia, barbariei, & tyrannidis hinc inde iactata procellis, bono omine primùm conquieuit. Et quidni amet illam, quæ non ſolum animum Regiæ potentiæ innatum, non id quod lubet, iubere, ſed ex præſcripto legum, libero populorum conſenſu ſancitarum, ſubditos regere longè meliùs, docuit; verùm etiam eius virtutes, liberis libe-

ræ gen-

Digitized by Google

ræ gentis iudicijs Orbi clariores reddidit, & non ſorti naſcendi, ſed meritis tantùm præmium ſe detuliſſe teſtata eſt. Quidni illam amet, quæ ſola Regium caput reddit ſecurum, arcet inuidiam, Principem, & Populum indiſſolubilis beneuolentię vinculo connectit. Hoc verò demùm regnare eſt. Quod ſi autem morum ſimilitudo hominum generat amicitiam, quantùm Regi meo, & Reipub. Polonæ erga hanc veſtram, amoris accedere neceſſe eſt, ex hac paris libertatis æqualitate. Sed & clariſsima huius Sereniſsimæ Reipublicę merita, exantlatique pro Chriſtiani nominis gloria labores, hanc texunt paritatem. Polono ſiquidem & Veneto cruore mutauit ſæpènumero Luna Ottomanica colorem Quid de feruido fidei ac religionis ſtudio dicam, imperuia templa veſtra hęreſi, nec vlla vnquam aduerſus Deum rebellione polluta. O ingens bonum, arcebit non dubitate ab hac Republica omne exitium is, à cuius Altaribus *Reſpublica* Sacrilegas Hæreticorum arcet manus, & Marci doctrinà firmatà, falſa eorum contemnit dogmata. Sacroſanctè demùm, & conſtanter culta amicitiae iura, maximum ad amplectendam huius Reipublicae Societatem Regi meo addiderunt incitamentum. Haec ſiquidem vnica gloria, omnes in vnum congeſtas longè ſuperat felicitates, huius cauſa vel perire dulce eſt. Hanc Rex meus amplectitur, huius poſſeſſione Polonorum gens vniuerſa gloriatur. Agite ergo tu Sereniſsime Princeps, vosq. Proceres inclyti, hoſpitem olim veſtrum, nunc Polonorum Suecorumq. Regem Potentiſſimum, Septemtrionis, & Orientis terrorem, Chriſtianorum decus & ornamentum, officiorum veſtrorum gratiſſimum, in amicitia conſtantiſsimum, veſtræ Reipublicae amicum, quod benè cedat Chriſtiano Orbi, dicite, & agnoſcite. Et ſi quando immanis Turcarum rabies, per-

ſidiae coniuncta, eius Maieſtatis arma laceſsiuerit, id agite, quod ab Amicis, ſocijſque tanti Regis deſiderari, quod à magnanimitate, & prudentia veſtra poteſt expectari. Sereniſsimus porrò Rex meus, vti omnem veſtram felicitatem ſuam eſſe putat, ita veſtro, ſi quod emerſerit, periculo, non ſecùs, ac ſuo proprio commouebitur diſcrimine.

PANE-

Digitized by Google

PANEGYRICVS

INVICTISSIMO,

POLONIAE ET SVECIAE

R E G I

VLADISLAO IV.

MOSCOVITICO

V I L N A M V R B E M

DEBELLATIS HOSTIBVS,

RECVPERATIS PROVINCIIS,

P A C E C O N S T I T V T A,

INGREDIENTI.

Vilnenſis Societatis IESV Academiæ
nomine

DEDICATVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Res gerere,& victos oſtendere Ciuibus
Hoſtes,
Attingit ſolium Iouis, & cæleſtia
tentat. *Horat. Ep. 17.*

——————— Pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt: Pax
vna Triumphis
Innumeris potior: Pax cuſtodire ſalutẽ, *Silius lib. 11.*
Et ciues æquare potens ——————

Digitized by Google

Digitized by Google

PANEGYRICVS.

TRIVMPHALES hi, & Tuis Victorijs concolores dies, qui te nuper conſecratum Regem, tuorum oculis ereptum, Victorem reſtituunt, REX INVICTISSIME, in eum felicitatis tuæ ſplendorem omnes conſpirarunt, vt non vota modo de te Principum Terrarumq. probent copioſiùs, ſed vberiùs quoque explicent vniuerſam gloriæ vim ac poteſtatem, quam Nomine polliceris. Nam tametſi proſperrimo animos omnium antea iam expleueris ſucceſſu, lætiſſima tamen hæc multumq. expetita tempora, quæ Te, debellatis Hoſtibus, reducem excipiunt, pulcherrimæ Tuæ Fortunæ ampliùs loquuntur magnitudinem. Te enim ipſum tuis oſtendunt Terris inuictum Moſchouiæ Domitorem, rebus geſtis ac Victorijs clarum, recens parato Triumpho conſpicuum, qualem prudenti anticipatione futurum ſciebamus. Intelligimus iam, auguſtam corporis Tui ſpeciem, & bellicam in Martio vultu Maieſtatem, quendam quaſi tacitum Tuæ Vir-

Digitized by Google

tutis Oratorem nobis circumferri. Animaduertimus oculis hanc noſtris conceſſam felicitatis prærogatiuam, vt in præſente legamus quandam rerum à Te geſtarum perfectionem, quę verba ad ſui commendationem non poſsit apud nos inuenire. Quemadmodum enim quædam Virtutum argutiæ ac notę in vultibus emicant, quas feliciter quidem ingenia pictorum peruident, non vtique pari dexteritate ac lenocinio in tabulam transferre poſſunt; ita diſerta laudatio non perinde magnificam explicat gloriæ formam, quæ in exteriori Victoris Principis ſpecie effloreſcit. Sola hoc habet magnorum effectrix Mens operum, vt ſuo ſe, ex rerum dignitate, promere poſsit in publicum apparatu. Felices itaque meritò à poſteris exiſtimabimur, quibus Tu ipſe Tuarum interpres Victoriarum contigiſti. Neque tamen infelices idcircò illi à nobis appellandi, cùm minora audient, quàm geris. Scient enim non liuorem obeſſe Famæ, ne ex rerum pretio loquatur, ſed facultatem: & compenſabunt æſtimatione, ac ſtupore, quo magna coluntur, quidquid facundia aſſequi non poteſt. Quò magis mihi ignoſcendum eſſe animaduerto, cùm maiore voto, quàm ſplendore verborum tuas laudes aggredior; & hoc in defenſionem afferre non poſſum, quo cęteri dictionis moderationem commendant. Laborant in eo plerique maximè, ne in laudibus percenſendis ſint nimij, & exiguorum conſciam meritorum verecundiam, ambitioſa ſermonis pompa vulnerent; ideoque dicendi copiam ad Principum modeſtiam ſubmittunt: me verò Regij tui labores amplissimi adeò Maieſtate ſua ac Lumine perturbant, vt verendum mihi ſit, ne dum eloquentiam cogo ad Laudes, obſequium tenuitate Orationis corrumpam. Et quidem, ſi omnia mihi commemoranda eſſent, quæ Parenti Tuo, inuicto ac indomito Heroi in ſolatium geſſiſti, quantus mihi dicendi campus aperiretur? quàm impar humeris operum moles incumberet: Cuius hoc demum eſſet facultatis, per immenſa terrarum

ſpatia,

ſpatia, veſtigijs Virtutum Tuarum inſpiciendis inſiſtere? ſpectare Romam, ſupremam illam Nationum arcem, quam magnus Hoſpes impleuiſti: caſtra Ducis noſtra ætate celeberrimi Spinolæ admirari, in quibus artis Tuæ militaris ſingulare ſpecimen poſuiſti, & oſtendiſti, candore Ducis inuitatus, quid in magnis ingenijs, & abſoluto munitionum ſitu corrigere poſſis? Boryſthenem adire, ad cuius ripas vniuerſa Moſchorum Barbaries Tuis genibus affuſa ſeruitutem iurauit, cùm libertatem dares? Quam mihi facundiam, rerum geſtarum felicitate aſpirarent, vel earundem magnitudine eriperent campi, Tyram vltra late porrecti, qui Tuos ſudores, & Aſiæ penè totius ſanguinem à Tua manu hauſerunt? cùm Oſmanus Orientis totius Imperator, Tuo Numini victima cecidit, & capite depoſito Virtutem cæſus adorauit, quam viuus timebat? Ea verò, quæ domi in Luce Patriæ egiſti, infinita planè cùm ſint, atque innumera, meam mihi obtrudunt infantiam. Quis enim ſingula vel hac breuitate percurreret, prudentiæ, roboris, felicitatis Tuę monumenta? Vota Gentium, Regnique huius æſtimare, quę Te ſceptris admouerunt, & lugenti adhuc Purpuram, ac Coronam iniecerunt, quàm difficile atque arduum eſt? Quis glorię miracula citato Orationis curſu perſequatur, & ſe non ſubitò in primo dicendi limine referat in gradum, ſi intueatur, non ſocias tantùm & fęderatas terras, ſed hoſtes quoque in vnam, eamque rectam Tuorum factorum venerationem conſpiraſſe? An enim Tibi inuitus in Triumphum Guſtauus vitam non poſuit, & fictam ſcenico nomine exuit Sueciam, ne integer potentię Tuę titulus, in conſortio dignitatis, aliena mendacia haberet? Tuę fortitudini Barbarus ſeruiuit Moſchus, cùm Sacroſanctam palabundus calcauit fęderis religionem, & per funeſta in arces finitimas periuria conſcendit. Vel hoc ipſo ſatis amplum militaris Tuę peritię, ac roboris dedit teſtimonium, qui melioribus diffiſus conſilijs, prçuenire potius fraude, ac ſce-

lere

lere voluit, quàm in aduerſum vires ſuas experimentum differre. Tunc funeſtum in vicinas ceruices ac terras ferrum intulit, cùm Te liberæ Polonorum Manus Regali auro occupabant. Quid verò ad tam infauſtum nuncium ſubitò non moliebaris! Diſtuliſſes, ſi per Te ſtetiſſet, decus ſceptri, vt clauam erigeres, niſi ſubditorum deſideria, aureum Te prius, ſibique amabilem in Regali Maieſtate, quàm ferreum hoſtiq. difficilem in bellico puluere admirari maluiſſent. Quoties optaſti longa Comitiorum ſpatia breuiori curſu prętерire, conſilia in anguſtum cogere, ſecuritatem in fines deferre, ad omnes honoris primi fructum deſtinare? Audiebas immanem hoſtium furorem, Nationum diuerſarum delectu varium, ingenio ſubdolum, perfidia celebrem, numero militum & armorum opulentum, ſedere ad Smolenſcum, foſſis circuire, continuò ligatis ductu caſtris ſtringere. Intelligebas ſubterraneis dolis turres ſubrui, eijci puluere nitrato muros, agi vineas, ſcalas admoueri, parua arcis immenſę pręſidia perpetuis laboribus ac vigilijs fatigari. Tanta periculorum mole prorſus concidiſſet magnorum animus Imperatorum, Tuus aſſurrexit, & Te Regno huic cœlitùs conceſſum probauit, vt pulcherrimam rebus afflictis ac dubijs fortunam porrigeres pręſens, abſens mitteres. Incredibile enim, & ad aurium illecebras confictum videretur, tam ingens Prouincię propugnaculum à paucis contrà frequentes Hoſtium legiones ſeruatum, niſi Tua auſpicia noſſemus. Tuę felicitatis erat opus, quod ſtarent męnia, ruerent Aduerſarij, milites ſola tui aduentus expectatione viuentes, corporum atque animorum vigorem retinerent. Ita poſtquam aduerſis ac bellorum tempeſtate fluctuantem Rempub. tractare cępiſti, ijs quoque ſpes ſalutis affulſit certiſsima, qui ne auram quidem ducebant liberam, niſi quam Hoſtes ſuę fiducia victorię, & terroribus imbutam tranſmiſiſſent: Et verò, cùm Te in Patrię gremio detineret multa vndique impendens neceſſitas, & primę ſubdi-

torum

Digitized by Google

torũm preces, quibus ruę conſulebant dignitati, amoris inuitamentum non tuliſti. Mouerunt Te calamitates miſerorum, quarum ſenſus maior Te tangit, poſtquam ſingulos cum Sceptro in manus, cum Corona in cogitationes admiſiſti. Didiceras ab Aureo Pomo, quod in ſolenni datur inauguratione, ad Te pertinuiſſe, vt Tuę Fortunę pręmium ac dulcedo ad omnes perueniret. Summis ergo itineribus properaſti, vt ſecuritate pręſentię pericula diſſipares: nec ſic tamen abſens, cùm abeſſes. Suſtinuit interea tuos ſucceſſus Vicaria Tuae imperterritæ fortitudinis Mens, quae Tuam praeſentiam vbique circumtulit, Quò magis autem Barbari agere pręda, & in vicina euagari prohibebantur, eò pertinaciùs, in illo militari otio, Arcis Principis excidium agitabant. In hoc fortiſſimum munimentum, adductarum verſutia Nationum incumbebat; innumerae ſudabant operae, omnium pendebant animi: ignari, quod tuis rebus militarent. Nam poſtquam in haec campeſtris meditationis opera, & validiſsima difficultatum erectarum artificia ſemel hoſtis decidiſti, ſubitò nudati propugnaculis montes, tuum tibi Smolenſcum retexere. Anni penè totius laborem dies vna ita ſuſtulit, vt viae vndique laterum ſtarent apertae, neque tot anfractus vallorum, & tumuli loricis emuniti tutam amplius praeberent ſtationem. In vna omnes ceſſerunt caſtra ſoli, omnia ſe portare ſecum rati, quod pedes ad corpora auehenda ſupereſſent. Hoc quoque clementiae tuae debent, quòd cum caelo tranſegeris, ne Victoriam ſanguine Hoſtium cruentares. Oſtendiſti ea Te pietate eſſe, vt ad vincendi ſecuritatem voluntate tantùm opus habeas: ea prudentia, vt diſperſos ſub vnum extremæ Sortis ictum colligere poſsis. Neque verò hæc Diuinæ opis benignitas in otium cecidit Tuum, & fidem conatu ac occupatione militari abſolutam. Non ſupplicibus eam duntaxat in partes tuas aduocaſti palmis, ſed ferro etiam inuitaſti. Illa enim multum pretij habent vota, quæ, quod petunt, faciunt.

Exor-

Exordia pugnandi, quæ precum ardor promouet, pro conſummatione Victoriæ Superi metiuntur. Quanquam etiam ita præſens in ipſo prælij feruore Tibi aderat Numen, cùm latè ſterneres Hoſtes, & erectas adires per cadauera moles, vt militum gladij iam in ipſis aduerſariorum caſtris triumpharent. Perfeciſſes igneæ alacritatis conſtantia, Tuarum virium impetum, niſi manus ad placandos rebellibus Diuos transtuliſſes. Propè ipſa tibi diſplicebat Victoria, quòd peſſimè obſtinati, benè oblatam ſalutem impetrare nollent. Quia tamen ſeruare volebas, idcircò, cùm memoria graſſantis in ceruicibus cædis, ſomnum non permitteret feſſis, & alacres nihilominus ad fugam faceret, Tuis votis debent. Nox obſcura & illunis erat, cùm relictis abirent impedimentis; & ſidera ipſa cœlo profuga teſtabantur palàm, quod violati fæderis conuincerent fugientes. Suſpenſis ac cautis veſtigijs Sehinum verſus lentè viam periclitabantur, & ſic tamen properabant, neque tuam fallebant vigilantiam, ante quam omnia dilucefcunt. In errorem dari potuiſſent, niſi ad vnum fortitudinis tuę experimentum vniuerſos pergere maluiſſes. Dies ſequentes cauſam inſoliti timoris, faciem caſtrorum, rerum copiam ſub aſpectum poſuere. Quis hic lætitiam militum explicet, quorum periculis pietas tua conſuluit, vt in opulentam prædam otioſi venirent? Gloriam tuam voce tumultuoſa differebat Exercitus, & in Vrbes publicę hilaritatis decus porrigebatur. Celebrabāt alij Martiam illam Iulij Cęſaris celeritatem in Te ġloriosiùs effulſiſſe, cui ignotę prioribus ſeculis machinæ moras vincendi non facerent. Mirabantur impedita aggeribus loca, implicata foſſis, æreis inſeſſa tubis, armis inſtrata, tuo conatui facilè patuiſſe, & quod paucis contigit ante Te Imperatoribus, vniuerſos perijſſe vno vincente. Alij amicam cum Deo conſuetudinem efferebant, quod expiare Tuarum fines prouinciarum ſacrilegio Hoſtium poſſes, & ſperatus alienis Caſtris ſuccedere habitator. Tali-

bus

Digitized by Google

bus fremebant cohortes prçconijs, & nemo erat, cui vltrices Furiæ, quç perduelles œſtro eiecerunt, non elicerent futuri exitus auguria. Diſtrahebatur interea diues penu in omnes. Ferrearum acerui pilarum, bellica ad vſum ſupellex, curules baliſtç in publicum referebantur. Cùm plurima cæteros recrearent, Tu ad tuos, quos diuturna obſidio afflixerat, quorum armis, vitæ, animis inuolutum conſtitit Smolenſcum, conceſſiſti. Et verò magnum ac verum Principum ornamentum ſunt ſeruati Ciues. Hos morti eripere, reddere Patriae, clariſſimas inter ſemper habitum Coronas. Quidni ergo & illi tui amænitate vultus ac ſucceſſu excitati, quaſi ad vitam è ruderibus exilirent? cur ſe non effunderent in pomeria, vt Tua prçſentia maximæ Arcis vaſtitas impleretur. Tum primùm periculorum voluptas in geſtus corporis emicuit, & ſigna lçtitiç, quam guſtata ęrumnarum patientia commouerat, in indicem frontis ſerenitatem exierunt. Mænia ipſa, quç aſſidua pugnandi contumacia ſolo ęquauerat, ad Tanti Hoſpitis aduentum ſurgere videbantur, & in Muralem coire Tęniam, vt integro Vindicem ſuum atque Patronum coronarent ambitu. Aereç machinç, quç furibundo aſſueuerant fragori ac cçdibus, in gratulabundos explicuere vim clamores, & laetitiam conſpirantibus in plauſum flammis accendebant. Vtrinque gratus eras, & quia REX veniſti, & quia Liberator. Illi de Te vires aſsiduitate operis fractas reparabant, & iam ſe recipiebant, quia Te viderunt: Tu in illis amaſti inauditam, & apud poſteros ęſtimandam animi magnitudinem, quç ſeruitutem, in illa arcta obſidione horrebat, & ingenui ſemper, quia Tui iuris erat. Inuicta pectora, quç Spartç murum feciſſetis, & circumnudas Thebas generoſiùs ad virilem tubarum vocem ſurrexiſſetis quàm rupes poſt Amphionis Lyram reptauerunt. Vos illibatus Liberç Gentis ſanguis Numantinam reddidiſtis Orbi in exemplum virtutem. Tam enim immoto ſtetiſtis contra pericula ſemper gradu, vt oculos ve-

ſtros

ſtros & vocem ſuſtinere, plenum opus fuerit aleæ & terroris? Eam inuicem ſuſcepiſtis viuendi legem, ne vnum ſuperſtitem haberet immanitas, quem ſeruitute violaret. Nomina pactionis, fęderis, pacis, tam ignota vobis erant, vt in obliuionem abiuiſſe viderentur. Hoc itaque fortitudinis prodigio effeciſtis, vt & immortalitas res veſtras praeclarè geſtas receperit intra gloriam, & Regia Liberalitas pręmijs honorauerit ampliſsimis. Plura licet, quàm optabatis, acceperitis, ipſe tamen magnanimus Princeps, munus erat pręſtantiſsimum. Vt enim illum aliquando reciperetis, viuere voluiſtis. Quidquid aliud in mercedem venit, ipſius erat authoramentum gratiæ & ſignum rei expetitae. Te igitur conuenio R E X Inuictiſsime, qui poſtquam milites ſpolijs, obſeſſos Tuo aduentu ac Victoria refeciſti, nihil aliud mente agitabas, quàm vt fortunam proſequerere. Commodùm autem ceciderat, vt bellum in compendium mitteretur. Exercitus tantus, quantus ſummis ſtipendijs domi & foris, maria vltra, & per alienas quaerebatur Ditiones, in cumulo iam erat. In punctum omnes vnum tranſiuere, & fecerant virium ſummam. Sic quoque futuri difficiles, quod & à tergo vniuerſa iaceret Moſchouia in ſubſidium, & ipſi à fronte imminerent. At exercitus, quem ducebas, vt vi ac animo valido & inconcuſſo anteibat, ita numero erat exiguus, & comparationem in cenſu non admittebat. Quid hic aliud gereres, quàm quod poſteri ſuſpiciant, & ante Te non legerunt? Ratus è vicino rem agendam eſſe, & in vltimum conatum recentes vires intendendas, Moſchouiam inter, & latiſsima Hoſtium caſtra, Exercitum minorem, neque ſic tamen totum poſuiſti. Milites deinde in latera explicari, montes inſideri, erigi munitiones. Tanta haec in opus ibant celeritate, vt obſidio prius ſteterit, quàm ſentiretur. Quis hoc tandem, in conſilium afferre ſine temeritatis vitio auderet, quod cum ſumma prudentia ex arcanis militiae praeceptis peregiſti?

Certè

Digitized by Google

Certè tantùm ingenij & audaciç, ſcriptorum aſſentatio, cui quidlibet comminiſci promptum eſt, non habuit, vt literarum monumentis illigaret, quod feciſti. Imperatoribus Parentes dabant è cælo, imputabant immortalitatem, diuinam affingebant conditionem: hoc addere non potuerunt, ne aliquando inter fabulas eſſet, quod Virtus Tua in lucem debuit eniti ſtatim verum. Trito illi calle incedant, qui alieno ſe regunt ſucceſſu, & ad veterum exempla, velut infantes ad fulcra appoſiti, gradus primos tentant. Tu operum tantum iam Orbi dediſti, vt Te poſsis imitari. Circumfuſa olim Tuis caſtris Aſia, pluribus cohortibus prope, quàm viros ſub ſignis numerabas, circùm Te excubabat. Vires non Ottomanici Imperij, ſed humani generis videri poterant. Ij cùm ſe in terrarum libertate eſſe putarent, tenebantur. Abire non poterant, niſi rogaſſent. Quod ſi legem à Te accepere ingentia variarum Gentium nomina, quid aduerſi hic ominareris, vbi vrgebas? Robur Moſchouiae circumſtabas; ſed ipſam obſediſſe putabaris, quç tam longo ad apparatum dato ſpatio, lacertos in ſubſidium mouere non poterat. Partem, in quam ſanguis ac vigor omnis fluxerat, preſsiſti; quid niſi torpor viribus, velut membris, incumberet? Vocem quoque in aures obſeſſorum extendere non poterant. Si quç mittebatur, languore ſuo peribat, aut à Tuis intercepta intelligebatur. Hoc effeceras, vt in alieno aëre vacillantes, ſua non haberent alloquia. Silebat vniuerſum Imperium, vt Tu loquerere. Terra nihil illis dabat ampliùs, quàm quod mortuis ſolet. Foſsas illi vocabant; ſepulchra erant, tam incerta hoſpitum, & Tuis addicta nutibus, vt eiectura infidos, & parricidis aequales facilè viderentur. Eiecerunt poſtea, cum magnitudo ſceleris maturuit, & colorem ſepultorum induerunt. Sed ad haec veniam iterum, cùm prius Tuos in hoſtico progreſſus fuero contemplatus. Nam poſtquam iam denſis omnia firmaſti munitionibus & propugnaculis, par-

Digitized by Google

tem exercitus in Moſchouiam deſtinaſti, vt circa reliquorum Matrem oppidorum luctaretur. Fama rerum geſtarum præceſſerat, & omnia trepidabant, quaſi militum manus ſæuiret. Aedes deſertæ, Lares patrij relicti, omnia aperta, nouos illecebra annonæ ac opum inuitabant hoſpites. Colligebantur ad totius ſeditionis caput plurimi, & ſui ſtipatione formidinem denſabant. Pleroſque tam intenta rapuit fuga, quaſi extra ſolem armis quærendi eſſent. Cæteri, qui fiduciam rebus ſuis fingebant, finitimis carceribus magis, quàm arcibus ſeſe includebant, ne ſtragem ſentirent, an ne viderent? omnia enim ſic luctuoſum faciebant ſpectaculum, vt oculi bellorum incendio graſſante ac fumo irritati ſponte lacrymarentur. Quidquid virium erat in hoſte, circa præcordia imaginarij Ducis palpitabat; nec fas erat ad leuandos miſeros, tantùmque animam trahentes excurrere. Quidquid relictum fuiſſet, pro alieno haberi poterat. Proximis itaque ſtrage ingenti correptis, contagio quædam mali in extremis finibus ſentiebatur. Tu hæc inter, Sehinum, qui opulento inuitata aut decepta impendio, variarum Gentium robora ſecum habebat, virum iam militandi veterem, retinebas. Quis centrum eſſe, quod inſederat, Tuis militaribus in circularem lineam euolutis copijs crediidiſſet, niſi duxiſſet religioni, ordinem ac ſitum turbare motu? Iſta egebat quiete ætas profligata annis, & ingenio pertinaci. Reliquiſti ſpatium, quo vaſtus experiri periculum poterat exercitus, & pectoribus viam quærere. Otium maluit, & prçlijs circa nidum ludere, quàm bello moliri libertatem. Sciebat enim Tuæ Virtutis conſcius, ibi quoque iter obſtructum eſſe, vbi munimenta nulla ſtarent, ſed Tu eſſe poteras. Cogitatio hæc in hoſte prudens fugam diſſuaſit, ne dubio fortunæ paſſu in cædem pergeret: retinuit à publico maximarum duello terrarum, ne citiùs ſemel periret, quàm optabat. Ampliſſimum verò fortitudinis Tuæ teſtimonium erat,

quòd quem forti militum cinctu ſtrinxeras, ad prælia, quoties vellet, ſolueres. Et quidem laborabat ille, conflictibus milites ſuos euentilare, ne otia languor virium & tabes ſequeretur; ſed cùm videret denſam ſtragem, grauius malum, incurri, conſilio ſuperſedit. Intelligebat diuerticulis his pugnandi & deſultoria militia, tempus cum clade duci, non exitum parari. Quærendi itaque erant, & admotis viribus è ſubterraneis luſtris eruendi. Sæpiùs propè ſunt armis laceſsiti, quàm territi, &, quod ſolum ad arctiſsimam deerat adhuc obſidionem, hoſtiles portę cęſorum mole corporum claudebantur. Ita pro Te iacebant mortui, qui contra Te viui ſtabant. Vidiſſes non ſemel expugnatos omnes, niſi temporis ratio pro Te certare incepiſſet. Brumalis horror, infeſtus niuibus turbo, gelu intractabile, terrę rigor, crudę tempeſtates hoſtem preſſere. Cęlum Tibi militabat, coniurata in auxilium elementa aduerſarios terris proſcribebant. Nam vt Tuorum alacritati nihil aſperum eſſet, à Te vno omnes calebant: illi tremuli, frigore dubium, an metu? malè tecti, ad paucos focos, in quibus ignis, veluti ſacer, ad vſum bellicum vigilabat, hęrebant. Conſuetudo tamen cęli fecit, vt dura mens contra inſanam aëris intemperiem proteruè obniteretur. E glacie, è niuibus, è Marpeſijs propè ſunt effoſsi cautibus, & iniurias ferre non didicerunt, ſed ſciunt. Quemadmodum tamen aqua frigore concreta hiat, & rumpitur nimia hyemis aſperitate, & ponderis impatiens latè ſtridet; ita diuturnitas malorum aſſiduitatem tolerandi maiore ſenſu afflixit. Cęduis prohibebantur ſyluis, aberant fomenta gelu peruſtis; & inde morbi ac funera. In Tuis Caſtris è contra verna quaſi ridebat hilaritas. Vigor corporum, flos virium, animi pugnę ardentes faciem temporis mutauerunt. Quis enim tam impos ſui fuiſset, quem tua ad ferendum non accendiſset conſtantia? Quis non arſiſſet à frigore, quod ſponte in exemplum admittebas? Iniuriae

cœli, quæ in te cadebant, admirabili clementia agebant in milites, & quaſi ab attactu naturam depoſuiſſent, inflammabant. Ignea mens niuibus alebatur, feruebat à proximo latere ferrum, & algor ille Septemtrionis ingens, rabieſque ventorum, animum rigore non edomabat. Et defuiſſet ſanè incitamentum laudis, fatalis calamitatum ſcopulus, tuus aſpectus ita fuit incitandi potens, vt Themiſtocli Miltiades, Hercules Theſeo. Et hic tamen gloriæ ſtimulus abeſſe Te præſente non poterat, qui omnia in immortalitatis curam conuertis, & eripis languori, in quem ex vicino agis. Arx amæna & Regalibus inſtructa commodis, hoſpitium oſtendebat tranquillum; inuitabat, vt æſtiua ab hybernis diſtingueres, aliquid etiam ſolitis detraheres laboribus. Sed tam incitatus inerat animo feruor, vt in illo horrendo tempeſtatis habitu, delicatam fouere nolueris cogitationem. Quia Te oblectabat exercitus frigore adſtrictus, cùm anhelitu circùm ora concreto, & ſolutis deſuper in niues nubibus caneſceret, iam non tantùm ad Patriæ ſalutem, ſed ad imitandi quoque voluptatem, patientiæ de Te exhibebas ſpectaculum. Eant nunc, qui cumulatiſsimum Principum munus aſſerunt, Conſilia & Imperium, duas quaſi manus, quibus Regna ſeruantur vel vindicantur. Te Virtus propè inter Commilitones habet. Ipſe facis quod iubes, non iuſsurus, niſi tibi gerendi impoſuiſses neceſsitatem. Cæteros addixiſti operibus certis perficiendis, ſecreuiſti dignitates officijs, ætates ac merita immunitatibus: vnus diſcrimen noſſe noluiſti, peregiſti omnia. Bellicorum munerum Compendium ac Summa dici potes. Illuſtris es Imperio & Labore & partes Fortunae confudiſti. Legiones etiamnum cum admiratione ſpectant terræ regionem, quę à tuo ingenio pulcherrimam Caſtrorum accepit ſpeciem, & pugnę locum; arbores, quę quieſcentem ſenſerunt, montes quos excubitor obequitabas, aut inuadebas pugnator: iiſque ſudorum

Tuo-

Tuorum veſtigijs ad bellicas laudes commouentur. Nemo in poſterum ignauus ac degener terris illis inſiſtet, quę à Tuo excellenti ſtudio genium quendam hauſerunt fortitudinis. Eijcite profanos, locus Tua virtute conſecratus. Antiochia id, neſcio qua Dei lege habet, vt Mahometis Sectatores diu inter viuos non ſinat: cur à magno Hoſpite Seueria parem non acceperit felicitatem? In te itaque refero, REX Inuictiſsime, quòd ad tuum aduentum hoſtes terris excedere cœperunt. Pugnæ primum infelices, metus deinde, afflixerunt omnes. Acceſsit fames & latè omnes ſequaci corripuit contagione, effecitq. vt nemo ſuam vitam optare potuerit, qui Tuam Victoriam ſimul non eſuriret. Qui cadebant, ſibi imputabant, quod eandem Tecum terram calcarent. Nouerat aër ſuum Principem, & ſingulari ſeſe impendebat omnibus diſcrimine, vt Tui vitam ducerent, illi haurirent mortem. Eiecta ab vſu hominum ſtomachis ingerebant, feles, canes, & quidquid horremus; & diſcebant in ſymbolo fidelitatis, quod rodebant, pœnam perfidiæ. Atque ita magnum cædis compendium dextris tuorum euenit, cùm Aduerſarij in ſuorum cadaueribus tumulandis fatigarentur, quos Vltio in ipſo ſceleris loco oppreſſit. Multa hic mihi dicenda eſſent dictu triſtia, ad quæ ſubeunda coëgiſti contumaces, ſi liceret Triumphales Tuas aures rebus funeſtioribus diu tenere. Lætum illud potiùs ac ingens tuæ glorię monumentum commemorabo, quòd plurimis pręlijs, cædibus frequentibus perfeceris, vt hoſtibus placeres. Qui enim rebus ſuis meliùs conſultum voluerunt, ſeſe caſtris ſuis eripiebant, accedebant Tuis. Sua tibi vulnera vendebant, tanquam corporibus eorum tui gladij incidiſſent illecebram transfugiendi, & primam Sacramenti reuerentiam. Iam cohortibus immixti, nouum ſuſceperunt certamen, vt Victoribus ſedulitate pugnandi coæquentur, & quibus artibus hoſtes erant, amici ſint. Hæc eſt Imperatoris Inuicti gloria quoddam in animos

gerere Imperium. Nam qui corpora vinculis, aut carcere obligata tenent, in cogitationes nihil iuris habent, liberas, fræni neſcias, ſui & rerum Dominas. Qui mentem nobiliſſimam hominis partem, attraxere in obſequium, diuinam imitantur poteſtatem. Effeciſti itaque rem omnibus poſteris memorandam, cùm ijdem, qui te metuebant, diligunt. Cęteros in latebris, ac teterrimo malorum ergaſtulo Fortuna retinuit, vt pereundi maturitas cumulo afflictorum aucta properaret. Erant enim iam clara illius vndique argumenta. Bello multa inepta corpora, languor virium, lue inducta tentoria. Tormenta quandoque horrendùm mugiebant, eſſe adhuc qui viueret. Ferreæ verò pilæ innoxio circùm corpora ictu cadebant, quaſi ad hoc mitterentur, vt futuri dominij rigorem obſequio, ac reuerenti allapſu præuenirent. Rapidiſsimum interim properantis neceſſitatis curſum frequenti incurſione iuuiſti. Nudatum propugnatoribus vallum, turbatæ caſæ, excurſiones impeditæ. Globi crebertimè emiſsi, aut in foſſa parentabant latentibus, aut patentia certis ictibus in vias caſtrorum effundebant corpora. Habebant, quo viuerent, ſi auxiſſent barbariem. Cùm ita omnia cædibus miſcerentur, & miles aſſiduo circùm Caſtra penderet opere, moriendi pertinacia inundatione ſanguinis intepuit. Coëgiſti inferis deuotos, vt viuere mallent. Itaque precibus, ac frontibus in terram ruentibus, velut ſi impudentiam violatę religionis damnarent, cruentum tuarum Victoriarum ſucceſſum ad Clementiam reuocarunt. Eius te nouerant indolis, vt Victor Animorum dici glorioſius cenſeres. Inciderunt in mite pectus, & votis facile cedere. Donaſti vitam, quam eripere poteras. Indulſiſti fortiſsimis tuorum dextris, vt iacentes ſpectarent, quos gladijs non depoſuerunt. Et hoc ipſum Victorię lætitiam auxit, quòd tuorum pericula nolueris. Hac arte integram Tibi addixiſti Gloriam. Conſeruare victos, ita Tuum eſt, vt, quod omnes vitae munus acceperunt, à Te vno dari potuerit.

tuerit. Ex omnibus animi ornamentis ſeligunt cæteri Principes certa laudum præſidia, quibus ſua facta vulgo eximant: &, ne ex ſingulis pauca admodum delibaſſe videantur, in vnius hærent incremento. Qui omnium concentu irent per ora hominum, pauci extitere omninò. Quemadmodum enim diuinæ propè, & non humanæ mentis eſt opus, blandam amæniſſimarum virtutum faciem, rigore cæterarum non efferare: ita difficile eſt, ſic in vno apparere ſingulas, vt in communi omnium commercio, quibuſdam præclariùs effulgentibus, aliæ non obſcurentur. Tibi hæc præclariſsima gloriæ concordia contigit, vt nullum inumbres alterius boni confinio ſplendorem. Fortis es & mitis; conſtans & exorabilis; terres & allicis; eadem manu pacem in patria foues, bellum in hoſticum exportaſti; gladio cepiſti hoſtes, clementia conſeruaſti. Omnia tam conſpicua ſunt, & victis admiranda, vt dum ad pondus, & primam partium ambitionem Virtutes Tuas vocare non poſſunt, omnes ex æquo prædicent. Laudant Te animi ac virium plenum, immotum, imperterritum, quoties vincis: benignum ac facilem, poſtquam viciſti. His generoſæ mentis inſtrumentis Tuus magis ſucceſſus inclaruit. Nam ferro cauta ſæpè eripit fuga trepidos, fallunt perſequentis diligentiã latebrę, vis animo reſumpta vincentes moratur. Clementia verò ita certa eſt Victoriæ, vt, quem gladius præterit, illa vincendum ſuſcipiat. Fuere aliquando, qui, vt non Victori, ſed neceſsitati ſe ceſſiſſe oſtenderent, dedere poſthumam è vultibus tabidis proteruiam, & viuentem in ipſa morte iram reliquere: ferali hoc habitu teſtati, hoſtes ſe ad inferos ire. Credebant ſe pleni triumphi ſolatium erepturos, ſi vltima fata exciperent à fauore,& contumaci vultu adhuc aſpectum ſauciarent. Et licet hæc non voluntate cadentis ęſtimanda ſint, ſed eius, qui gloriæ ſuę litat: pulcherrimum tamen habetur felicitas integrę teſtimonium, ſi ab omni parte beata ſit Victoria, & non maſcula tantùm ſtrage, ſed parſimonia

quoque ſanguinis commendetur. His tu, REX Inuictiſsime, iuiſti in gloriam itineribus. Ita enim partitus es numero de appararu inſtructum hoſtilem Exercitum, vt magnam ſuſceperis excidendam ferro multitudinem, quæ ſuo flagitio induruerat: non pauciores autem dimiſeris, qui beneficio euadere Tuo cladem maluere. O Tuam non fortitudinem magis, quàm benignitatem prædicandam! Pectus roboris conſcientia firmum, & plenum pietate in afflictos effudiſti, ne eos calamitate extrema conficeres, qui, niſi per te viuerent, viuere non poſſent. Acceperunt leges, quas in Patria ſua ſeruarent, & liberi eſſent, ex genio legitimi Principis, à ſeruitute cæteris obſequendi. Hoc enimverò ſingulare fuit tuæ prudentiæ miraculum, cùm eò rem deduxiſti, vt è præſcripto tuo, Sacrilegæ Reipublicæ obſequelam negarent. Oneratos etiam armis abire voluiſti, baiulos potiùs quàm milites, vt referrent ad ſuos damnatæ pęnam audaciæ. Nam cùm vti non poſſent, ita tulere conditionem, quaſi manus præciderentur. Et ſic quoque clemens eras ac mali prouidus; ne incumberent dolori, quoties ferrum inutile ad latus hærens, aut humeris innixum, Victoriam exprobraret. Egregiè autem feciſti, vt abeuntes non ſolùm armis alligares ad erroris ſui pœnitentiam, ſed potiſsimam quoque partem deriperes. Ad Triumphum enim virtutis Tuæ pertinebat, humanitatem potentia commendare, & oſtendere, quod, quæ dediſti indulgenter, negare potuiſti. Tantum autem in poteſtatem redactum eſt æris ac ferri, vt eſt æſtimare non poſſint, qui viderunt. Hoſtium certe eſt iudicium, quod extera ingenia in damna terrarum acuere, ſatis fuiſſe milliariæ Arci diruendæ, extorquendæ Prouinciæ, Regnis vna ruina inuoluendis. Non improbabant fiduciam, qui ſingula conſpexere. Inter plurimas molis admirandæ machinas, oblongi ſunt tubi quidam, & æqualiter teretes, quorum ambitus ab vna parte, ad ſuſtinendum primum erumpentis ignis impetum, groſsior in prodigioſam

lon-

longitudinem excurrit. Prioribus temporibus naſcentis adhuc, & in conſuetudinem euntis operis vſus erat perquàm rarus, nunc licet vbique terrarum non infrequens habeatur, magnitudo tamen hic adeò auxit admirationem, vt niſi eſſent, exire in opus non poſſe viderentur. Nomina ipſa immane quid ſtrepunt, & quaſi iam audirentur, fulmineum in vocabulis explicant horrorem. Quid memorem ea, quæ vel in longum, ad maius ſpatium ſuperandum, extenſa iacent bellica tormenta, vel in arctiorem formam contracta capaciore hiatu ſurſum aperiuntur, vt in ſublime globos aliaq. obturamenta flammis eluctantibus, noceant? Prætereo reliqua ænearum fiſtularũ portenta, & quidquid magni Imperij opes, in vſum belli annis multis effuderunt. Tui gratia tantum videntur conſecuta pondus, vt grauatè ferrent, ſi reducerentur. Tibi iam accendunt ſublucente flamma noctes in triumphum, in plauſum mugiunt, in perniciem hoſtium tonitrua ac cœleſtes minas æmulantur. Neque enim decet, vt ſileant Victoriam, quam cum ſenſu quodam excepere: aut perfidiam ictibus non exprobrent, cui inuitè ancillabantur: aut tumultuoſo non excutiant impulſu finibus terrarum Barbaros, cùm obſequijs Tuis acceſſerunt. Et opportunè hic ego in eorum incidi memoriam, cùm ad apicem brumalis Tui laboris, obſidioniſque conſummationem mea feſtinat Oratio. Iucundius enim eſt, & ad gloriæ Tuæ maieſtatem auguſtius, ſpectare ipſas potius Legiones ſupplices, è carcere, quem æterna erexerant obſtinatione, prodeuntes. Ibant illæ ex funeſta ſuarum calamitatum ſede, velut ab inferis extractæ, neſciæ quid agerent potius, gauderentnè. quòd in vitam renaſcerentur? an quererentur, quòd oculos magnę luci non aſſuetos, in publicum Victoris Principis, atque ſpectantium Procerum theatrum eſſent expoſituræ? Lucta profectò animorum, ſi quæ vnquam, extitit grauiſsima, & colores variorum affectuum indices in vultu configebant, nunc hilaritate campum occu-

pante,

pante, nunc pudore inſtabili metus ſuos velut in aciem explicante. Horam ignominiæ fatalem præceperant cogitatione, ludibria polluti fœderis, vultus lætos partium, longum per hoſtium oculos iter. Ad maciem, & vultum, vt dicunt, Hippocraticum, cui diuturna obſidio ſupremum penè vitæ diem impreſſerat, acceſſit Caudinæ pactionis memoria, aut ſimilitudo, extrema ęrumnarum appendix. Reuocaſſet illa propè poſtliminiò ad famem, niſi viuere & Victorem cogitaſſent. Tanta enim eſt Tuarum ęſtimatio ac gloria Victoriarum, vt pretium habeant, quę à Tua manu veniunt calamitates. Vulnerum ſuorum negligens eſt, quiſquis in Tuum gladium, Orbis domitorem, animo declinauit. Plerique Vmbris erant ſimiles; ad illorum tamen vicem, qui lęta mœrentes ſimulant, parem feſto aſpectum plauſui accepere, ne triumphalibus oculis horrorem ſpectandum inferrent. Vniuerſi porrò in ordines digeſti certos, ad Auguſta vſque Regię Tuę Maieſtatis genua, infeſtos inter vultus, & triumphum ſpirantes ibant, lucis faſtidium ſuperabant eundi neceſſitate, formam omnis luctus extemporali lętitia tegebant. Vexilla, quę ſuper capita Hoſtium fulſere, ſub pedes Tuos ſternebantur, quòd malè in perfidiam duxiſſent. Referri tamen iuſſa, poſtquam Victoriam ſenſerunt, & fiduciam ſub plantis contraxerunt veniendi in manus. Vidiſti tunc R E X Potentiſsime, tot illius terrę Palatinos, Duces, Proceres, & omnium anteſignanum Sehinum ad tuos nutus procidiſſe, frontem rupto iureiurando attritam ad inferos propè detuliſſe, pectus ſceleris conſcium ex more gentis, ſacrilegij commonuiſſe. Iuit quoque ſub triſte iugum, Signum ac Nomen Viri, qui fictę dignitatis ſcenam diu iam in voce pręferebat; cùm interim omnes ingentem pudoris molem ex alto animo cierent, tanquam ferret iam ceruice pedes. Quid hic aliud facerent nobiliſſimi terrarum Ciues tuarum, quàm lętitia in cœlum irent, felicem exitum gratularentur, de futuris victorijs Numen

com-

by Google

compellarent. Quem boni huius communio non afficeret, ſi res vitę inopes, ſpiritum geſtiendi à Te acceperunt? An enim tempora, quę, vt hoſtem pręlijs fractum, mora penitùs comminuerent, rigorem quendam Martium admiſerunt, ad Tuum ſucceſſum eadem hilaritate non plaudunt; qua prępipitem liberali cęde fugam antea riſere? Boryſthenem ipſum inſolenti meatu ferocem Boreale conſtrinxerat gelu, quaſi eo fine, vt eunte in duritiem aqua ſubſiſteret, dum contumacia vincendi ſubſideret in hoſtibus. Idcirco quamprimùm deditionem ſenſit, velut ſi lętitia glaciem laxaret, aluei impatiens in cornua exceſsit, nuncias Tuę Victorię aquas terris ac mari infuſurus. Ibit porrò optatiſſima hęc belli proſperitas in ora poſterorum, terrorem Nominis Tui per Regna circumferet, Victorias promulgabit. Serpent hę Laureę in immortalitatem, in nouos pullulabunt Triumphos, id Deo agente, vt Regni Tui ęuum per palmas eat, & nunquam niſi Inuictus audias. Pulcherrima eius rei iam ſuſpeximus argumenta. Quid enim eſt recens hęc Tuę gubernationis ętas, quàm continuus quidam Victoriarum textus? Pauci tot laudibus longos Imperij finiuerunt annos, vt Tu primum cœpiſti. Dies aequauerunt fęlices pugnae; numero praeliorum ſtant paria Trophaea. Aſpexiſti ereptas Barbaris Aquilas, captiuos abductos, exciſas ciuitates. Cùm Moſcos perſequereris. Turcas Scytaſq. fuſos accepiſti. Torrens quidam Fortunae Tibi demolitur Gentes, properat Victorias. Virtus Tua magnorum operum molitrix, cui iam vices omnes ambiguae ſortis obſecundare docuiſti, omnia Tibi ſubijcit. Illa Te ex intimo ſinu pacis & ſolij complexu, ad paçandos limites abripit ſemper atque impellit. Illa non conſilijs modò optimis, ſed armis quoque in aduerſas partes detonat. Illa poſt Caſtra nuper adempta, poſtremam Belli totius procellam in vniuerſam effudit Moſcouiam. Nimirum hic eſt inoffenſus verae gloriae curſus, & diuinitatis cuiuſdam continuus vigor, perpetuo ferri ad

magna

magna motu, rem inclinatam in præceps vrgere. Hoſtem armat, ſuum quiſquis ferrum breui ſilentio componit. Cunctatio alienas erigit ruinas, & violentiores ſuſcitat tempeſtates. Vt enim corpora, quæ diuturna agitauit ęgritudo, quiete conualeſcunt, ita inquietæ bellicis æſtibus Terræ, ad robur ſeſe priſtinum mora pacis recipiunt. Ille itaque omnes boni Imperatoris partes abundè peregit, qui eodem impetu infirmas conficit vires, quo incolumes ac vegetas lacerauit. Annibal certè magnam ſuis laudibus aſperſit labem, quòd Victor hæſitatione perire ſoleret, ijs clade ſua vincentibus, qui cecidiſſent. Cùm Cannenſem Victoriam ſtuperet, amiſit Italiam. Magnus cæteris erat dotibus, & iudicio potiſſimùm in æſtimationem militaris rei intento. Fuiſſet ille æuo hoc, dicendorum arbiter Imperatorum, Te profectò magnos inter Heroes primum celebraſſet, in quo omnia eminent bellicæ ſcientiæ ornamenta. Non enim ſatis eſſe iudicauiſti amplitudini pectoris Tui tanta ſedere in Victoria. Secutus es animum Tuum, cui omnia ſe fata impendunt. Tranſcendiſti conſtantiſſimè attritum belli limen, fluentibus campis minimè retardatus, qui, cadente hyeme paluſtri ſimiles cæno veſtigia euntium admittebant. Nihil erat toto itineris tractu lubricum, in quo tua fortitudo nutaret: nihil difficile, quod ardor militum non euinceret. Sequebantur generoſam mentem corpora robuſta, ſolida, læta, vno hoc mæſta, quod adhuc properarent. Alis tanta egebat celeritas, quantam cogitatione conceperant. Neque ſic tamen lenta fuit profectio, quæ ſubitum hoſtibus attonitis, & maximarum rerum expectatione pendentibus terrorem præmiſit, &, cùm perfecta fuiſſet, miſcuit cædibus. Hic demùm eò me loci video conſtitutum, vt verba rebus geſtis non poſſim paria reperire. Hæc eſt miſera Oratorum conditio, quòd meritis creſcentibus nequeant pariter attollere dictionem. Si magnitudo operis æſtimanda eſt, repit omnis facundia, quantumuis altiſſimo glorietur faſtigio.

Quid

Digitized by Google

Quid igitur mirum, ſi, cùm ad exitum propero Tuæ in Moſcouia felicitatis, ipſe quid potius, & qua ratione differam ſubdubitem. Mirernè velocitatem, quòd plurimæ eodem tempore munitiones tempeſtatem belli exceperint, agri populationem, oppida vaſtitatem, tota hoſtilis Regio metum ac trepidationem? an ſucceſſum, quòd trophæis terram impleueris, ſigna ſæpius oblata calcaueris, Victorias numeraueris prę lijs, ſupplices conſpexeris Proceres, qui procurſum armorum deprecabantur? an verò immortalem Tuæ prudentiæ gloriam, ac animi magnitudinem, quòd ita paci ineundæ impenderis alloquia, ne otium bello interueniret. Videbas eam belli eſſe optimam feſtinationem, quæ conſilia factis promoueret, & vrgeret victorijs diſcordes ſenſus ad exitum. Multos temperata ſpe & fæderis ſimulatione diſceptatio, planè hærentes in cauſa, oſcitanteſque conſopiuit. Habent hoc ignauæ induciarum moræ, vt, cùm velut faſcino, confabulatione motum armorum intercipiunt, non hoſtes modò diuturnitate reparatos, quaſi ſubitum fulmen, nıl tale opinantibus objiciant, ſed languore etiam victrices copias atterant. Attentus igitur ſemper ac vigil, ne lenitas improuiſam parturiret audaciam, & iuſtæ iræ placamenta in perfidiam reuoluerentur, hoſtilia manu regebas conſilia. Et erat hoc grande momentum, non modò iuris debito poſſeſſionem eripere, ſed Victorijs quoque dubitantes cogere. Nihil enim volebas, quod ferro extorquere non poſſes, eo diſcrimine, quòd facultatis maior ſemper apud Te ſit latitudo, quàm cupiditatis. Nam moderatio, & plenus Te ipſo animus metam ponit deſiderijs: at verò fortitudo, & generoſa magnificæ mentis inductio, ne Orbe quidem hoc definitur. Iſta cogitatio Hoſtes ſerio ac rigido Tuæ poteſtatis examine ſolicitos euertit. Infractum Tuum animum per ſucceſſus ferri, cùm diu multumq. ſpectarent, auctoritati Tuæ cedere maluerunt, & iuſtitię partes inire, quàm nudis certare odijs. Quid Tuæ Fortunæ negarent,

rent, quam facis? Cur varijs diu fluctuarent ſententijs, aduerſus quos diſtrictam in manibus habes felicitatem? Ereptam quo circa repoſuerunt Seueriam, terrarum ſpatijs ampliſſimam, ciuitatum copia opulentam, crebris inſtructam arcibus, vt de Tuo obſequium facerent potiùs, quàm obſtinatis pectoribus ruinam augerent. Oppreſſerint licet fæcunditatem illius, direptiones frequentes, & pugnantium decurſus, longè tamen fertiliſſima videtur, poſtquam gladijs exculta pacem protulit florentiſſimam. Pulcherrima eſt vbertas, cùm Terrę quas ferro putaſti hoſtili rigaſti cruore, victricibus plantis exculcaſti, creſcunt in decus Regni, & perennem incolis ſecuritatem germinant. Exiſtimauere Antiqui Numen quoddam eo nomine maximè beatum, quòd ambulantis veſtigia facili incremento flores, quaſi pedibus plantati, ſequerentur. Quid ad hanc dicerent proſperitatem, cùm progreſſus Tui explicantur in palmas, effloreſcunt in coronas, funduntur in trophęa, & latiſſimas terras Triumphis, velut Laureis, conſitas, cæteris adijciunt prouincijs? Pulchrum profectò ac memorabile facinus. Quis enim ſperare potuit Seueriam, quae prioribus temporibus per breuia raptabatur fędera, & alternis diſcerpebatur viribus, perpetua lege firmari potuiſſe atque retineri? Vota ad hanc expectationem, & tàm remotæ Fiducię aram deerant. SIGISMVNDVS Pater Tuus eam Hoſtibus etiam eripuit; ſed ſpem, qua vna calamitates ſolamur, reliquit. Protulit eius poſseſsione limites; ſed ſecuritatem non addidit perpetuam. Damnauit ius, quod iniquis armis fecerant; ſed quoties vellent, potuit agi de nouo cauſa, & bellici ſtrepitu fori tentari ſucceſſus. At Tu eò rem deduxiſti, vt, & deſperationem eius iurauerint, & de non repetenda legem tulerint. Magnificum erat, illam Barbaris eripere; quid quandam addere quaſi ęternitatem? Glorioſum occupatam prę ſidijs retinere; quid concordię excubijs? Propulſare pericula armis, illuſtre atque ſpecioſum; quid togę oſten-

oſtentatione? Itaque tuti quietiq. viuent incolę, apud quos ne metus quidem atque amittendi formido remanſit. Recreabuntur pacis quadam quaſi immortalitate, exactę tranquillitatis imaginem venerabuntur, nihil, quod reſpectandum ſit ſibi ac poſteris, pertimeſcent, ſecuri Diuorum puluinaria frequentabunt, quorum ope Tua ſtetit felicitas. Omnes Te Rege beatos ducent dies, & totam ſcient ſecundarum rerum ferre proſperitatem. O magnum optatiſsimę fundatorem pacis! ò publicę quietis Patronum, & Inſtauratorem Patrię! O magnificum opus, quod inter innumeras geſtientium populorum manus feretur ad vitam ſemper; & eripi laudationi non poterit, quod ſolers oculis gratitudo perpetim exhibebit. Quid hac eſſe poteſt Victoria glorioſius, in qua, ſingulari temperamento, iuſta ira, & manſuetudo vincit ac triumphat? quę occupatam Prouinciam ſubditis, latiſsimum Moſcouię Imperium quietis Vicinis impleuit? Meritò itaque Fama veris rumoribus fęcunda, Tuam vbique euulgat gloriam, vocibus in Scythicas vſque ac Gotticas vrbes reſonantibus, & mentes Hoſtium triſtes læta confundentibus imagine fælicitatis. Hęc enim eſt Tuę Virtutis magnitudo, vt ibi Te ponere poſſit, quò nuncium Tuorum ſucceſſuum præmiſit. I Fortunatiſſime Regum, quò Tua Te fortitudo optimis probata ſemper auſpicijs ac euentu, quò Iura Regnorum, & publicæ ſalutis vocat neceſsitas. Neſcit quieſcere tam feſtinata vincendi maturitas, quæ vnius anni flexu portentoſas afflixit vires, euertit conatus, terras ademit. Quid mora non efficiet, ſi facilis ac expedita belli celeritas, omnia ad veteres Reipublicę leges, auctoritate armorum ac imperio reuocauit? Deiecisti iam Aquilas, quas audacia & roboris ęſtimatio alto volatu in ſublime extulit; quid ſupereſt, niſi vt Ottomanicum calces Cœlum, & Lunam exeſo lumine mutilam, ad deliquium ſui compellas? Vt leges vagis feras Scythis, quas domi ſeruent? Tuis illi relicti ſunt viribus, vt, quod nemo huc-

hucuſque pręſtitit, optauere tamen omnes, Tuas terras ignorent, dediſcant in finitimis municipijs ferro graſſari, liberam gentem opprimere ſeruitute. Tuę decumani hi malorum fluctus, & inundatio Prędonum reprimenda debetur fortitudini. Tandem ſubditis laceratæ excurſionibus Prouincię, quibus gens moribus incondita ſępè, velut quodam diluuio, ſtragem ſuperfundit, Te Ductore ſeſe recipiant. Neque enim ſine cauſa, violatis fęderibus, Thraces tota belli mole aſſurgunt, niſi vt virtutis tuę fulmen habeat, in quorum percuſſis corporibus perennem fundet ſecuritatem. Hoc a Te expectant, &, quaſi iam poſſiderent, lętantur Fortunatę illę terrę, quas noſter aut Hoſtilis ſanguis circumfuſus propè Inſulas effecit.

Ita & nos vouemus, quotquot à
Tuis ſucceſsibus pendemus
Victorijs viuimus,
Triumphis recreamur.

ARCVS

ARCVS PACIS
NOVO
SINE SANGVINE
TRIVMPHATORI
VLADISLAO IV.
POTENTISSIMO

SARMATIAE MONARCHAE

Ab expeditione bellica

In Amurathem Turcarum Imp. ſuſcepta BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Feliciter & Auſpicatò

REDVCI;

LAVREATISQVE REGNI ORDINIBVS

Triumphalem hanc portam

vnà ſubeuntibus,

Inter publicos Europæ acclamantis plauſus

E VOTO SOCIETATIS IESV

Religiosè conſecratus.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCVS PACIS.

Quiſquis terrarum excidio, vel ſanguine Pacem
Humano docuit naſci, ſociandaq. primus
Regna diremptutis ferro commiſit & igni,
Audiat (inſtratis fracti ſeu molibus Orbis
In fletus premitur, violato ſubter amatas
Seu luit Oceano ſtrages, fuſumquè cruorem)
Non buſtis populorum immanibus audiat, Aeuo
LADISLAE Tuo, non creſcere ſanguine lauros.
Innocui veniunt Mundo ac ſine cæde Triumphi.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

DEO EXERCITVVM, DEO PACIS,
QVOD INVNDATIONE BARBARIAE POLONORVM TERRIS DEPVLSA, TRIVMPHALEM PACIS ARCVM IN COELO SARMATICO LIBERIS INVICTAE GENTIS MANIBVS CONSTITVERIT, ORBEMQ. TERRARVM AD OTIVM ET TRANQVILLITATEM REVOCARIT; INTEGRA AC FERRO ILLAESA HOSTIA CADAT AMVRATHES.

AVGVSTAE SALVTIS MATRI,
CVSTODI ET ARCÆ FÆDERVM,
VNI AC PERPETVAE POLONIARVM HAEREDI,
OB SIGNA LVNASQ. OTHOMANNICAS FATALI AVSPICIO REPRESSAS AC DEPRESSAS; LVNA BARBARA FATALI SORTE SVB PEDIBVS ESTO.

VOBIS, DIVI DIVÆQ. PATRIÆ
OB SERVATOS LECHIAE FINES, ARMAQ. THRACIAE SINE ARMIS EXCVSSA; INVIOLATAS ARAS GRATA PATRIA, VICTIMAS BARBARIA CVMVLABIT.

Digitized by Google

VNus demum extitiſti, VLADISLAE REX POTENTISSIME, cui ſalus, tutela, ſecuritas humani generis meritò à Superis commiſſa creditaq. eſſe videatur. Ceſſit impar tanto æmulo mundi terror Amurathes, ne caderet; ſi non hoc ipſo proſtratum Orbis videt, quod ſupplex tibi veniamq. ac pacem orans prociderit. Nondum bello humana virtus effecit, quod virtutis tuæ ipſa exiſtimatio ſine bello. Profectura ſcilicet non erat felicitas, ſi armis viciſses, quibus nuper quidquid habet Septentrio duriſsimum fregiſti: ad tuæ prodigia Fortitudinis acceſsio hæc fieri ſolùm potuit, vt clauſus vagina mucro hoſtem ſterneret, ſeruaret Orbem. Quod nomine pollicebaris, manu iam ac virtute præſtitiſti verè Princeps, ſub quo primùm Sarmatia vires agnouit ſuas nulli potentiæ non pares eſſe. Timeri adhuc poterat, niſi timeri à Te voluiſſet barbarus; adeoq. vincendi fiduciam amiſit, vt Polonia inueniret. Bellum, quod & nauibus aduexerat, vt ipſi fluctus armatis quodammodo procellis aucti ferale diluuium in nos deuoluerent; & per vaſtiſsima terrarum ſpatia ęquè feris hominum ac belluarum lacertis in Valachiam apportarat, vt telluri quoque ipſi & non ſolis nobis graue eſſe crederetur, hoc inquam bellum, quaſi fabulam dare mundo vellet, poſteaquam in illo Martis theatro conſtitit, cùm promittere Actus ingentes cæpiſſet, repentè in latebras ſe recepit: ipſeq. ſimul Amurathes perſonam deponere coactus eſt, proq. audacia pudorem ac metum fateri. adeò nihil formidabile habet natura, cui non viciſsim aliquid formidandum prouiderit! Cohorruimus, fateor, ad primum illum armorum ſtrepitum, bene conſcij, quòd is gladium extuliſset, qui vnam nobis omnibus vellet eſſe ceruicem, iterumq. in nouo illo furore antiqua Caligulæ vota mundus expauit. ſed eæ inprimis Regni partes, in quas è vicino agebat metus, tanquam diſsita à Corde ſuo membra, linqui

qui paulatim animis cæperunt: iamq. in procliui erant, niſi ad Tui aduentus famam ſe erexiſſent. terram illam vix tam citò calcaſti, quàm illa vires ſibi cum ſacro veſtigio ſenſit impreſſas. Vocem olim audieramus Magni Pompeij; quòd vbi tellurem Italiæ pede pulſaſſet, innumeri exercitus eſſent in Cæſarem erupturi: euentus reſq. ipſa Tibi ſeruabatur, ne dubitaremus quoſcunque Magnos aut Maximos edixit Antiquitas, minores fuiſſe. Nam Ruſſiæ terras nuſquam attigiſti, vbi non admirabili numero victrices copiæ circumſtiterint. Sanè redeunt animi populorum, quocunque Sceptrum velut Mercurij virgam attuliſti; laurus eſt, quidquid calcas. Verùm hoc in tuis factis admirationem habet præcipuam; quòd ad bella natus Pacem vbique circumferas: non humana iſta eſt moderatio, Summa felicitate non vti quantum poſsis, vincendiq. ac regnandi terminos Pacis arbitrio definire. Nimiùm ſæpè didicimus, neque à Sole radios, neque ab inſigni Potentia vires & arma contineri poſſe. Affine quiddam habent Lux & Maieſtas; vt illa, tametſi quieta ingenio & placida, ignem nihilominùs parit: ſic iſta quocunque Serenitatis nomine cenſeretur, id tamen ſemper fuit, vnde Orbis incendia exarſere. Nouo itaque exemplo bellicę laudi ac ſummæ fortunæ quaſi frenos inijcis, dum Orbi pacando ſtudes, nec arma euagari ſinis vltra communis otij metas. Pacem Septemtrione toto non imperium propagare nuper voluiſti, iam & Orientis Pacificator audire, quàm Debellator mauis. diſplicuit tibi mundus ita ſanguine vndequaque pollutus, vt nomen pęnè amiſerit: noua ſine armis ratione ſubigere omnia, id planè Regium putauiſti. nam terras & maria cruentare ſerui etiam quandoque potuerunt: cruenta verò hæc diluuia exterminare, ſibiq. mundum reddere neſcio an duobus (niſi Tu alter ſis) Imperatoribus ſummis contigerit: diu vel in auguſto ſanguine requiſiuimus Auguſtum! Ergo ipſa, inuictæ Fortitudinis opinione profligare hoſtem contentus terrore belli

maiora, quàm bello quiſquam inſtructiſsimo, confeciſti. Debebatur hæc vis emeritæ Virtuti, vt etiam parcendo vinceret, hoſtemq. reprimeret non premendo. Atque vt magna corpora, quò ipſa non perueniunt, vmbram tamen porrigunt ſuam, ſic virtutis tuæ magnitudo caſtra barbarorum latè complebat horror abſentibus, prçſentibus amor. Hinc illi ſemper ad hanc diem inuadere aliena ſoliti ante primos Tui Regni aditus conſtitere, quaſi pro ſuo metuerent, ſceptraq. iam eminus adorarent tua. an & religione tenebantur, ne ſuorum hic ſanguinem calcarent, quos tua manus quondam Oſmano inferias dedit? certè bono iure abſtinuerunt à terra, ex qua non ſibi ampliùs deberi ſciebant, niſi quantum ſepulchro ſatis eſſet. ad ſuorum præſtabat, quàm ad ſuos tumulos tam longum iter ſuſcepiſſe, leuiuſq. viſum eſt armis quæſitam ignominiam, quàm cladem haud ſine ignominia referre. Ita cùm Poloniam velut Oceanum quendam adſpicerent, in quo fatale ipſis naufragium tua Virtus prçnuntiauerat, trepidi atque ab animis relicti in ipſo quaſi littore hæſerunt. Nec vela promouit Amurathes, non dubius hoc æquor à Luna infeſtari ſolùm vt extollatur: vincula quidem & compedes parauerat, ſed vt Xerxes Helleſponto: adeſſe demùm vetera nomina intelligebat, ſed abeſſe veterem nominibus fortunam. quamobrem excluſa imitandi ſpe, fruſtra tam atrox in oculis exemplum erat; non quòd hic noſter non illo Amurathe ferocior, ſed quòd Tu illo felicior V L A D I S L A O. Quodſi pro barbaro illo mundus erubuit, cùm terram & flumina ſanguine infeciſſet, iam iſte terris vndiſque abs te vindicatis ſuum ferre cogitur pudorem. Nec ille tam ſuis armis, quàm noſtra Europam ignauia & criminibus oppugnauit. hic verò omnem in ſuomet faſtu ac perfidia vim poſuit, ne ſcilicet alijs artibus Tyrannidem ſtabiliret, quàm quibus erecta eſt; attamen eum ex aduerſo habuit, qui (vt Beliſarius aliquando in Perſas ducens) violati fæderis leges haſtis præfixurus mox erat; fidemq.

demq. ac iuratæ pacis reuerentiam impijs pectoribus ita ſaltem incuſſurus. Neque enim diffiteri poteſt, niſi qui Orbis iudicio confutari velit, armis perinde ac inermi conſilio repreſſus eſt, opprimi hoſtem potuiſſe: prodigioſa vbique gentium eſt, quamuis ipſa minor, Virtutis tuæ exiſtimatio, diuq. fortunam tuam Militarem & Bellicam appellauimus, donec deprehenderetur, tantundem ſine bello militiaq. poſſe. Quia enim præ omnibus Pacem regno tuo parere decreueras, Bellonæ primùm nubere malebas; ſponſali ſerto lauream, Io triumphale epithalamio prætuliſti. non aliæ tædæ prælucere ad torum debebant Lechico Marti, quàm inflammata ſuiſq. ignibus collucens Thracia. Verùm poſteaquàm in prælijs & cruento ſtadio inuictam Fortitudinem Orbi probaſſes, ne vno modo ſummus videreris, nouos abſque ſanguine triumphos docere iterum voluiſti. Fulminum hic mos eſt, ferrum & quidquid repugnat, frangere ac redigere in fauillam, mollioribus & quæ ſponte cedunt parcere; vt facilè aduertamus cognationem inter Dei tela & Regia. Atque vt illa magis ſunt mira, vbi ſeruant, quàm vbi ſæuiunt; ita hæc prodigij plus habent, dum hoſte intacto maiora, quàm cæſo deletoq. glorioſè patrant. Non eſt promptum ea dicere omnia, quæ tam prompto Superum ac Tuo munere obtinuimus. Scythas finitimos ſolum vertere cogis; ne videlicet ab ijs annuus terror, barbarum ſanè vectigal, Europæ amplius pendatur. ſæpius illa, quoties ſuo imminentes iugulo ſenſit, Poloniæ obiectu defenſa eſt: tamen fieri haud poterat, quin tela, quæ ipſa vitauerat, in Clypeo ſaltem hærerent. at obriguere iam metu, ne arma expediant; in Perſei ſcutum Sarmatiam ijs verſam dicas. Delubrum quoddam Herculis fuiſſe memorant, quod clauæ ipſius ad ianuam defixæ beneficio nullius vnquam canis ingreſſu funeſtaretur. dubitarem apud nos Herculeum eſſe ſacrarium, niſi tam longè rabies iſta noſtris iam ſeſe à finibus abſtineret: palam eſt, quòd monſtrorum domitricem ſacriq.

cuſtodem limitis clauam odoretur. Illud verò quanto barbarorum dedecore, quanta noſtrorum gloria effectum eſt, vt autor & fax belli huius extingueretur? Abaſſius, inquam, ille, qui te alibi fœdifragi populi victorem alibi fœdifrago à populo victum reddere tentarat, è viuis, vt è Polonia, non exceſsit, ſed excluſus eſt. ò diem illum Turcis ominoſum, tibi tuæq. militiæ fauſtum ac ſalutarem, quo Amurathe ipſo iniuriam tuam vlciſci coacto ſacrilegus prædo ille præſtricto collo interijt, fatis hoc agentibus, vt cœlo barbaro diu ſpirare non poſſet, qui auram Sarmaticam nefario anhelitu ſemel violarat: neque Clauam ille tuam exercitu amiſſo vnus propè vitaſſet, ſi aut mitiori iudice, aut leuiori ſupplicio dignus fuiſſet. Quodſi pro capite, ne truncaretur, anxiè deprecatum ferunt, noluit, credo, minor inferos adire, ne Furijs non gigas appareret, nulla re magis hoc nomen meritus, quàm quòd cum Ioue bellaſſet: quanquam & illud ſepulti gigantis haud leue indicium, quòd velut alter Enceladus ſub Aetna humatus flammam adhuc mouere, Lechiæq. incendium minari auſus fuerit. ſed vmbram metuere non potes, qui viuum ſpirantemq. metu armorum tuorum exanimare potuiſti. Iam ſublato capite, neruiſq. ſuccisis membra facilè cætera languerunt. ipſa belli ſedes Valachia nutare haud leuiter viſa, vt pacifico ſeſe victori ſubmitteret. nempe diu alternis viribus diſcerpta cùm ægrè conſiſteret, ſubiecerat olim ſeſe currenti ferociæ, ſed tanquam offendiculum, vt euerteret: hodie pronis ac proſtratis ſupplicandi neceſsitate hoſtibus, quaſi legitimum Principem ea ſpecie ſalutaret, erigit ſe iterum aduentu tuo, vt habeas, cui nouo cum magiſtratu vetus iugum imponas. quidquid Tyram inter & Pontum Euxinum terrarum eſt, ne mota quidem adhuc dextera cepiſti. Plura eiuſmodi commemorarem, ſed orationem admirationemq. totam abſorbet ipſe Amurathes Sultanus poſita cum armis arrogantia Tuæ ſupplex Maieſtati. habes infra te, quidquid

vniuer.

Digitized by Google

vniuerſos Reges populoſq. ſupra eſſe videbatur: Orbis terrorem velut in triumpho ducis, niſi minùs glorioſum ſit animos perdomitos quàm corpora conſtricta in pompam trahere. Arcum vis triumphalem? en hæc ipſa victoriæ huius trophæa, ſignum planè fæderis illuſtre ſi non, vt olim, in nubibus, tamen in Europæ oculis poſitum: cuius intuitu meminiſſe hoſtem oportebit, ſe cum humano genere in gratiam rediјſſe. Nondum Iridem à Luna effectam viderat natura, Tuæ Maieſtati hoc prodigium ſeruaſſe tempora videntur, vt àſtrum hoc in occaſu eſſet, tibiq. victori expanderet Arcum Pacis. quin & præcurrens de more tempeſtas, cùm ſanguinem & prælia concepiſſet, genuit ſerenitatem. Deprehendes in ea colorem aureum illo maximè indicio, quòd expalleſcat: nec viridis deſiderabitur, quia Mahumeti carus, noſq. omnia illius gentis inſignia in tuis fore ſpolijs ominamur. quodſi ruber aut alius quiſquam falſus creditur, non falſo opere dabit tuus gladius certiorem. Age interim hunc Arcum ob depreſſam erectum Barbariam ſubi triumphator; nos ad ingreſſum tuum oratione pauliſper conſiſtere iuſſa rite ominantis Patriæ carmen accinemus:

Mittamus auris bella truci ſuper
Gerenda ponto: cur propè ſanguine
Diluta vaneſcat ruentes
Indigenas praitura tellus?
Non Marte, quanquam colla rebellium
Frenauit Vrſarum, & (vigil ignibus
Te teſtor æternis Olympe)
Succiduo docuit morantem
Nutare plauſtro, non ſine ſiderum
Riſu, Booten: cum genibus minor
Stratis verecundum daretur
Sarmatico Spolium triumpho;

Quan-

Quanquam Threiſsis cladibus agger em-
Orbi Polono ſtruxit, & obſitas
Captum inter Oſmani ruinas
Penè Tyram veteres in æquor
Neſcire calles imperat, ac nouos
Armis natantum exſcindere Biſtonum:
Non Marte certandum, ſubacto
Si libeat dare iura mundo.
Præclara ſiccis gaudet adoreis
Virtus; triumphi ſola reum tenet
Fortuna Martem, quæ cruentato-
-Haud ſimul immoriatur Orbi.
An, geſtit arces qui ſuper erutas
Pronis volantum illidere turribus
Calces quadrigarum ſuperbos;
Victor erit ſupereſſe regnis
Audax ſepultis? latiùs imperat
Seruator Orbis mucro, ſuperſtites
Non linquere æternùm futuro
Immemor exuuias trophæo.
His perge bellax artibus inſtrui
Aeuum: recuſi pro gladÿs ſolum
Frangant ligones: ſat triumphi
Pectus inerme ſui tuentur,
Partaq. virtus conſcia gloriæ.
Non turbinis, quem ſtipat inanium
Vulgus procellarum, tonitru
Ceſſerit haud ſuperata moles.
Audite: verſas metra loquacibus
Motura criſtas è galeis ſonant;
Pippire iam mihi videtur
Nidus, IO, tener. Arma Paci

Calcan-

Digitized by Google

Calcanda littus ſubijce Balticum:
Vindex togati Numinis ilicet
Magni VLADISLAI triumphale-
-Augurium Gladius probabit.

NOn intra hos fines ſtetit Gloriæ tuæ magnitudo, REX POTENTISSIME: niſi enim in plurium ornamenta ſeſe diffunderet, à Te anguſta iudicaretur. Nempe vt Maximorum eſt, fortunam tenuiſſe præ alijs: ſic Optimorum, deriuare in alios. Adſciuiſti in huius ſocietatem victoriæ Sereniſs. Principes CASIMIRVM, & ALEXANDRVM, ſiue vt Patria ſacro Heroum ternione redderetur inuiolabilis, ſiue vt hoſtis victorem ſibi liberaliori optione deligeret. fuitq. hoc admirabile fatorum opus, vt tribus cederet victoribus, quoniam ter cadere non poſſet. Enimuerò Poloniæ amplitudo nunquam maior eſſe poterat, quàm cum hos in armis haberet, qui & Magnos nominibus referebant, & eorum magnitudini ſæpe mundus erubuit, cùm par non eſſet. regna etiam diſtraxiſſet, vt laxaret anguſtias, niſi vel ſinguli (noua inter Principes ambitione) vni quærerent vniuerſa, vel vnus optaret ſingulis. miſera profectò ætas, ſi non beatiùs eſt imperatoribus abundare, quàm imperijs. Sarmatiæ omninò glorioſum fuit pro Regibus bellatores, aut pro bellatoribus Reges habere; glorioſum Magnis Heroibus in puluere & ſole priùs, quàm in ſolio Patriam tueri. Nimirum in Regnatrice hac Domo natos iſto maximè indicio agnoſcit Orbis, quòd ſceptrum non ante haſtam in manus admittere ſoleant, neque coronæ niſi galea preſſum caput ſubmittere, quaſi ferro exercitatis duratiſq. leuius incumbat pondus terrarum. Nec illuſtriore argumento agnouiſti & Tu, REX POTENTISSIME, germanam Tuæ fortitudinem atque fortunam, cùm Sereniſſimorum Fratrum alter æſtuante inter Septemtrionis glacies animo ſignatas tuis laboribus metas obiret, æmuloq. gloriæ

paſſu

paſſu grandibus inſtaret veſtigijs. nihil deterrere potuit ſemper infractum ac ſui ſimilem, vt facilè Conſtantia natum intelligeremus: inde verſo ad hoc alterum Tuæ gloriæ theatrum curſu, cùm in medio ante Lunas ei Turcicas occurriſſet morbus ille, quo proſtrati omnes fuimus, priuati doloris moleſtiam ſalute publica viſus eſt curaſſe, morbo pariter cum hoſte pulſo. Alter verò è longinquis regionibus, quas luſtrando Sereniſſimus hoſpes illuſtrabat, Superi boni, quanto ardore ad primum tubæ Othomannicæ ſonum accurrit, Fatis conſonum arbitratus vt primum ſanguinem eo bello Patriæ libaret, quod primum ac perpetuum in ore habuit! cæterùm ad victoriam ſatis erat, voluiſſe: quod agere arma deſtinauerant, egit ipſa maieſtas armorum, quanquam ne magnis conatibus deeſſet euentus, in reditu demum, hauſto è bellicis ærumnis morbo, victorem ſpiritum in Patriæ obſequio profudit, puto, vt peſtis illa atque exitium Reip. penitùs difflaretur. Iſta Principum ſors eſt, vt eorum periculis, morbis, & morte ſalus ac vita ciuium conſtet. Vt olim Romanis Deorum par (Caſtorem illi credidere ac Pollucem) equitum ſudore madentium ſpecie in Vrbe viſum celebrem illam de hoſtibus victoriam prænuntiauit; ita nobis à debilitata fractaq. duorum Principum valetudine, inuſitatę huius victoriæ omen fuit. Sed quoniam

Alterna Caſtor Pollucem morte redemit,

hoc viciſsim relato inter ſidera dabit ſuperſtes Heros, vt extremis eum lachrymis illò proſequi ſinat ipſe, cùm geminam magnitudinem, tum magnas & magnorum aliquando panegyres impleturus.

Vos ego vos tacito, crudelia ſidera, planctu
Te prodam lachrymis, raptor Olympe, meis:
Quà Ganymedæos monſtrat, licet inuia, paſſus
Semita, Pegaſeo nitar in aſtra pede.
Pro Zephyris denſata vehent ſuſpiria vatem

Nubila

Nubila & obſtantes frangere docta polos:
Non ibi Sarmaticos dubitem ſpectare triumphos,
Quaq. facit noſter læta theatra dolor.
Obuia calcato mihi pompa ſonabit in auro,
Et Lechicum multa voce iterabit Io.
Aſtrorum ſic ſcena ſumus, noſtriſq. cupita
Ille vel è damnis gaudia Circus habet!
Regales trabeas, baccata monilia ſtellis,
Affuſum toto Sole videbo thronum,
Congeſto Superum diademata Regia cenſu,
Sceptraq. ſiderea dote redempta Domus,
Accenſum meliore Diem mirabor obryzo,
Pergama Lætitiæ latè habitata nouæ,
Denique ſtelligero Heroëm comitante Senatu
Deprendam auguſtos ferre per aſtra gradus:
Heu, merita quidquid poterat promittere fronti
Lenta nimis tellus, promere, Olympe, potes:
Vnus ALEXANDRO *tu ſufficis; illaq. Regno*
Non poterat Virtus, credo, minore capi.
Hæc, mihi, dum memoro Lechica miracula pompæ,
Funebris in laurum ſponte cupreſſus abit.

MInimè fortaſſe decuit triumphales aures funebribus lamentis implere, ſed artem, qui & Sarmatiam, confudit dolor. At ne iam è planctu noſtro plauſum capiat hoſtis, ortumq. Lunæ ſuæ poſt tantę lucis occaſum ſperet; age, Victor Magnanime, abſterſo tantiſper luctu oculos ſereniores in ſuccedentem bellatorum pompam reflecte. ij Te adhuc circumſtant, quorum vim & arma in vulneribus ſuis ille, Tu in victorijs agnoſcere tuis potes. Non enim Regum ſanguinem huic ego deinceps opponam, etſi Regum Tyranno; ſunt pro Theodoſijs Stilicones. Equidem non è fabulis didicimus, Atlante ſubmoto cœlum in Herculem tutò inclinari potuiſſe,

Digitized by Google

cùm ipſe Moſchouiam ingreſſus totam Poloniæ tutandæ curam, atque adeò totam molem belli Turcici in Illuſtriſsimum STANISLAVM KONIECPOLSKI, Generalem Exercituum Ducem, conieciſti. Oſtendere tempora, nec alium Regem tanto militiæ imperatori, nec alium Regi tanto militię imperatorem debitum fuiſſe. dignum alterius Maieſtatę, alterius Fortitudinę conflictum ſenſit campus ille planè Martius, nec tam vllius germinis, quàm cladium atque palmarum ferax, cùm Abaſsio illi, quem antè memorauimus, partim legionum barbararum, partim abſentiæ Tuæ fiducia Regnum inuadenti obuiam ſtetit tam conſilijs celer, quàm lentus videbatur. Miraculum, non imperatorię artis exemplum fuit, quòd nullam hoſtis machinam moliri potuerit, quam non prouidiſſet; nullam prouidere, quamcunque hic noſter fuerat molitus. Audiuiſſes non abſque animi voluptate noua muſices inuenta, cùm barbaro ad pugnam eliciendo, quaſi victoriæ huic tuæ proluderet, tubis choros militariter cani iuſſit; puto, vt ſaltatorium honeſtaret orbem, in quo (vt iſte fert ludus) verbera, quocunque ſe dediſſet, accipiebat miſer Salius. Profectò Martia hęc eſt, quam ipſe reperit, magia: Lunam claſſico euocarę! Habes, REX POTENTISSIME, qui Turcas aliquandò Tuis auſpicijs ſaltare ad tibię noſtrę modos doceat. Abaſſio interim funebris hæc fuit cantilena. nam exercitus reliquijs tanquam attrita inter ſcopulos mutilataq. rate Conſtantinopolim ægrè ſubductis, quem è diurna nocturnaq. fuga nondum penè collegerat, ſpiritum effundere coactus eſt halitu præcluſo, fortè, ne ampliùs hanc ſaltandi illecebram anhelaret. Ita cùm ludus & fabula è nationum terrore fieret, appendix tragica non potuit deeſſe! Nolo Arcum hunc triumphalem accerſitis decorare inſignibus ac emblematis: appendantur ſacris Magni Pacificatoris altaribus Arma Koniecpoliana; Soleam dico gentilitiam calcandis barbarorum ceruicibus fatalem. Quodſi locum in cœlo, vbi

Digitized by Google

Luna eclipſim pati ſolet, vt exprimant Matheſeos periti, Soleæ quandam ſimilitudinem depingunt, veriùs in huius victoriæ ſymbolis ponetur illa Solea, in quam impingere nunquam Luna potuit Othomanica, quin deliquium pateretur, Haud longè aberit Fluuius L V B O M I E R S C I A N V S, vbi fluctuanti Patriæ fida ſemper tranquillaq. ſtatio, barbaris myoparonibus nunquam euitabile naufragium. quoties ille rubuit cruore ingentibus Tartarorum copijs deletis? quoties, ingenio ad candorem Pacis reuocato, cryſtallo puriùs fluxit? Meminère campi illi Podoliani aceruis hoſtium oppreſſorum, pro manipulis impeditarum aut populatarum meſſium inſtrati, quis in bello gerendo? Meminit arx Chocimia, quis in pace conſtituenda fuerit magnus bello & pace LVBOMIERSCIVS? hęc ipſa in Amurathem expeditio quantas illius copias, quàm armatas pariter & ornatas habuit! vna ſcilicet arte hoſtis ad certamen elici debuiſſet, vt prædam ſibi pro pugna paratam eſſe perſuaſus, vulnera pro ſpolijs referret.

Eſt in tuo Regno, P O T E N T I S S I M E R E X, non Pactolus aut Ganges aurifer, ſed nobile illud Flumen, è quo in Rempubl. beneficia tam diuite alueo refunduntur, vt Poloniæ gazam vehere videatur. Age, pro Tanai vel Tyra, hunc Regni tui nunquam violatum limitem ad triumphalem Pacis Arcum ſtatuamus. Merentur non imparem locum Haſtæ Z A M O Y S C I A N A E, vt à triumpho ne abſint, quas tam propè in victoria eſſe voluiſti. Pallas ipſa non alias aut gerere ſagata vellet, aut togata Regali defigere Monimento: non alias nouo Aſiæ victori Lyſippus ille pro fulmine in dextra collocaret. Ac ſi Lunam barbara ſuperſtitio eandem voluit eſſe, quę in terris Diana, Proſerpina dicitur apud inferos, ne qua, opinor, Vniuerſi pars tyrannide vacaret; nihil commodius euenire potuit, quàm vt hiſce tribus Haſtis aduerſus triforme monſtrum vtereris, dum pro Vniuerſo pugnares. equidem verendum non erat, ne hiantia illa cornua in

orbem

Digitized by Google

orbem plenum coirent, modò ferratus hic limes obſtitiſſet: fabula eſt Herculem telis ſuis cum Neſſi cruore vim illam mortiferam illeuiſſe: crediderim potiùs hiſce Armis robur quoddam prępotens affuſum eo tempore, quo illa fortiſsimi SHARII melior ſanguis imbuit; reor, vt Herculi Polono tandem vſui forent. Iuere per varias manus, Scęuolarum dicerem, quia notę fortitudinis, ſed cùm inſuper, ob cognatam huic ſanguini ſapientiam, errare in hoſte neſcierint, haud occurrit par nomen: Fabijs certè, Metellis, Scipionibus, ſola temporum iniuria fuere poſteriores, etenim rebus geſtis longiſſimè pręcurrere. ſeruabantur demùm huic fortunę, vt inter prima victorię huius Tuę inſignia collocarentur. Ecquis vniuerſos numeret, quos progenuit militaris hęc mundi ętas, vt Regum fortiſsimo bellatores idoneos prouideret? quis Arma, quibus in hoſtem vſus es, percenſeat? Occurrit tamen prę alijs bellica nobilitate ornatiſsimus LVCAS ZOLKIEVIVS Kaluſien. Præfectus, quem ſeu armorum ſimilitudo, ſeu militarium ſtudium imitatio gloriæ KONIECPOLIANAE coniunxerit, pręſignem certè indolem haud immeritò à Marte adamatam crediderim, nempe vires animoſq. fortitam vltra vota mortalium. ineſt glorioſum quiddam illi ſanguini, quem ſemel pro Patria Virtus effudit. Neque Sarmatia poteſt carum illud fortiſsimi Patrui caput luctuoſo quondam prælio amiſſum, hodie in Nepote abſque gaudio reperire. Dignum certè iudicauit, qui Barbaricis palmis nuper ornatus in Moſchouiam deuota Tuę Maieſtati Arma transferret, ne victorię deeſſent, ſi adeſſe bello non poterant. Iam & Lunę Othomannicæ metuendum geminis è crucibus telum oppoſuerat Solea gẽtilitia pro arcu impigre vſurus, niſi ſcopus tanta demiſſione ictum declinaſſet. Hic igitur arma illa ſine cęde iam edocta vincere inter recentes Portę triumphalis laureas reponantur. At quonam ordine collocari mandas auita clariſsimorum IANVSSII

ac

ac IEREMIAE VISNIOVECIORVM Ducum, Inſignia Regio apprimè digna ſacrario? agnoſce tergeminam Crucem, cui Luna iam olim ſubſtrata eſt: quia ferendo non eſt, quoties pondere iſto premitur,ac fermè vix premitur abſque ſalutari hoc Signo fortiſsimè pro Patria ſublato. Vtinam tanta nobis vel dictionum eſſet copia, quanta Tibi armorum eiuſmodi! Erat ſemper in promptu GEORGII ZASLAVII Martiale præſidium, erant KORECIORVM, CZARTORYSCIORVM, aliorumque Procerum inuictæ centuriæ, quorum vel nominibus recitandis immenſa propè oratio deberetur. Omiſerim, pace Tua, Illuſtriſsimum KAZANOVIVM Podoliæ Palatinum, Campeſtrem Exercituum Ducem, in primis cæteroqui ponendum: ſed illi & Pruſſico, Moſchouitico, Turcicoq. bello magna hoſtium clade parata eſt immortalitas, & recens è Moſchouia victore cum exercitu ad palmam haud dubiè aduolaſſet, ſi cuiuſquam paſſibus victoria Tua præcurri potuiſſet. *O*miſerim & clariſsimum quà Patria Luna & Stellis, quà ſuiſmet facinoribus STANISLAVM DANILOVICIVM, cui in luce tot Aſtrorum nato ſplendidius nihil eſſe poteſt, quàm Te Imperatore ea militiæ rudimenta poſuiſſe,quæ tot victorijs erant diſtinguenda. Nec minore complurium aliorum venia opus erit; qui ſe à panegyri noſtra præteritos minùs tamen ſuccenſebunt, cùm Faſtos impleuerint æternitatis. Eſt præ oculis POTOCIORVM & KALINOVIORVM æmula fortitudo, eſt SOBIESCIORVM & OSTROROGIORVM præpotens dicendi vis atque agendi, eſt aurati *E*quitis RADIVILII probata bellis omnibus fortuna, ſunt aliorum decora ſanè innumera: verùm ea diſerto vtcunque ſilentio venerari cogimur. vnius tacere non debuimus ALEXANDRI PIASECZYNII nomen, quod literis ipſe dignatus Regijs *E*uropæ commendaſti. claritatem hinc ille Tuæ Maieſtati, illi Maiores debent. Fluuius certè gentis huius prænobilis tunc

fluere cæpit ad miraculum, cùm Tu illo ad miraculum vti. A paruo torrente inuſitatæ magnitudinis molem ſubuerſam eſſe raptamq. in præceps accepimus, cùm exiguis ille copijs totas pænè armatæ Moſchouiæ vires aliquoties Magnis Exercituum Ducibus, Teq. ipſo teſte ſuſtineret, gladios inter & flammas hoſtium illæſus, vt ſibi fluuialem vndam illi ſodere viderentur; dextera tamen ictum excepit, quaſi Mars notaret eam manum, à qua hoſti maximè cauendum eſſet. Equo à Te Regio donatus facilè apparet, quo curſu ſit ad immortalitatis gloriam perrecturus. Iam de hoſtibus Crucis triumphans in arduo Pacis Arcu fulgere hoc Flumen iure optimo voles, quia præfixum ſemper habuit trophæum Crucis. Reliquorum pariter integræ legiones ſuis hunc Arcum Stemmatibus longè lateq. induent Tuæ Maieſtatis arbitratu, cuius obſequio dicata tulerant in Amurathem. Nobis omnes elogijs ornare, infinitum: neminem, iniuſtum videbatur. Satis honorum fuerit, ſi non tam memori chartæ, quàm Regio pectori nomina eſſe inſcripta vniuerſorum intellexerint: nec aliud epinicion laborum, & victoriæ comitibus, ad lauriferæ Portæ ingreſſum dabimus.

Phœbone quiſquam Parthicis offuderit
Nimbum ſagittis miſsilem?
Haud quæret armis obrutam mundus ſtupens
Threſſam Polonis Cynthiam.
Quid non pericli quæſiere dulcium
Auara laudum ſecula?
Natura quidquid horridum, immane, efferum
Excidijs pauit ſuis
Marti ſubeſſe Lechico vel contumax
Gaudet fateri Boſphorus:
Nec Luna celat Biſtonis perennibus
Damnata tenebris cornua.

Sic

Sic ſic, Polone, ſemper illunes pati
Noctes Amurathen doce.
Fortuna creſcit auſibus: fortes ſuis
Timentur à periculis.

HAec tantorum Arma Trophæo tuo illigata eſſe patieris, REX POTENTISSIME, vt vim lucemq. accipiant. Regum alioqui laudibus aliena miſcere decora indecorum eſt, quòd obruant maieſtatem; in Tuis, vel cenſore mundo, hac parte ſecuri ſumus. non magis eorum tibi amplitudo, quàm Soli officit lux aſtrorum. De illorum ſic forſan decerperemus victorijs, quibus eæ ſedentibus (tametſi & hoc gloriæ datum) afferebantur, adeòq. triumphaſſe toties leguntur, pugnaſſe nunquam: Tu alienum crederes triumphum, ad quem ſola tua Felicitas ius haberet. manu fortunam vbique promoues, non auſpicijs glorioſior, quàm factis, vt gemino ſucceſſu per omnia ductus bellorum genera omni facilè humanæ gloriæ præcurras. Duas Orbis partes totidem anni, quos non tam regnando exegiſti, quàm triumphando, Tibi ſupplices videre, nouum ſanè inuiſumq. ſpectaculum: laurea Septentrionali alterum, alterum Aſiatica ſignaſti. nunquam illuſtriore ſymbolo Regalium annorum numerum didicit Orbis terrarum. O dignum perennitate biennium, quod longa quorumuis imperiorum ſecula non attigere! Ignorabitur olim fortaſſe Liuius, cùm tot ſeculorum Faſtos quiſque iam legere potiùs volet in Regni tui anno primo vel altero: manebit ſub ſuo nomine Tacitus, cum belli paciſque artes in Te (Magna Orbis Hiſtoria) mirificè incluſas diſcet compendio meliore poſteritas: maior fama erit Curtio res Macedonicas ſupra fidem attollenti, cùm exemplo certiùs, quàm ille commentario, ea édideris, quæ adhuc dubitaret Orbis an fieri poſſent, niſi iam feciſſes. Infelicia ſuperiora tempora, quæ tot bellis caruere: quia & triumphis! felicem

tot hoſtibus Poloniam : quia tot hoſtium Domitore ! Nemo campos illos abhinc ſteriles dicat & incultos, in quibus è barbarorum terrore nata eſt Europæ ſecuritas. Erit propugnaculum Orbis terrarum, erit Sarmatia, dum infeſtis mundo Lunis Turcicis hanc Tu oppones terram, vt obumbret. Portentum ſuſpicari viſæ ſunt externæ nationes, cùm Te Bredana clariſsimi Spinolæ caſtra ineunte, Luna cæleſtis ire in tenebras confeſtim atque pati deliquium cœpit: ominis iam habent interpretem hunc Triumphum; Caſtra modò Tua ingrediebaris, cum repentè caligo barbaris oborta. Hunc Te Superi, VLADISLAE REX POTENTISSIME, ſeruent humano generi, vt Tu genus humanum, DONEC AVFERATVR L V N A.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM FVNEBRE

SERENISSIMO

ALEXANDRO CAROLO

POLONIAE ET SVECIAE

PRINCIPI.

A IOANNE LIPSKI,
Referendario Regni,

Scriptum.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELOGIVM FVNEBRE.

QVOD nemo Noſtrum ſperaſſet, Sereniſsimi Principes, cæteriq ampliſsimi Auditores, en iterum, vix toto exacto biennio, SIGISMVNDVM Regem, & Reginam CONSTANTIAM, in magno ſuo, & Orbis delicio, mæſti tumulamus. Quid ita? Nimirum ſicut illi nouam oppetiere mortem, amiſsa eius vitę parte, qua poſt ſunera nobis, & Orbi viuunt: ita nouo à nobis ſunere efferuntur; tanquam rediјſſent in idem triſte feretrum, in quo nuper iacebant, ferales amborum vrnæ, quibus in vna hac ALEXANDRI CAROLI Principis Noſtri ſupremo officio parentamus, in quam poſthumam eorum vitam præcox fatum condidit. Itaque multiplicato funere, creuit & luctus; qui neſcio an

Digitized by Google

aliud ſolatium admittat, quàm non tota morte in obitu Filij Progenitores obijſſe; ſed ſupereſſe illis plures adhuc vitas, quibus non ipſi modò, ſed nos quoque viuimus, vel ideo, niſi auguria fallant, in longa ſęcula duraturas, quod fata in minimo, vltimoq. Fratrum cæperint, vt ſtatim deſinant, vel diu ceſſent, nos ferire. Niſi etiam vel hoc ipſum in ſolatijs ſit, voluiſſe feliciſsimos illos Magnorum Parentum ſpiritus partiri inter Filios, cæli terrarumq. Regna, vt Maximus natu hic pro ipſis, minimus ibi cum ipſis Regnaret. Cætera ſolatia, etſi ea interdum fingere ſibi dolor ſoleat, tantus luctus,& iactura reſpuit, præter lacrymas, quas ſi ad Achyllis buſta Alexander Magnus,ſi ad Alexandri ſtatuam primus Cæſarum ſuderat, illacrymemus & nos, & magis ſingultibus, quàm verbis parentemus ALEXANDRO CAROLO, Principi, non minùs re, quàm vtroque nomine Magno. Ad vrnam Alexandri ſtamus, ſine Magni titulo Maximi, qui an magnitudine Macedonicum ęquare, ſi & ætate potuiſſet: paucis, quæſo, mecum, Auditores, expendite. Tametſi Magni cognomentum ALEXANDRO Noſtro fata cum vita eripuere, quod iam ita mereri incipiebat, vt peragratus ab eo Germanicus, atque Italicus Orbis, Magnum fore augurarētur: Magnus tamen inprimis Regio genere erat, ipſoque Magno Alexandro Maior; quem cùm Deo natum, per fędam aſſentationem, antiquitas iactat, Philippo Patre per ſummum probrum ſpoliat; quique non tantum orbis ſubegerat, vt Magnus dignus diceretur, quantum inclyta Gottorum, ac Vandalorum Gens victricibus armis peragrauit, vt Magnos poſteros faceret; quantumq. vel nunc vnica Auguſta Domus Imperio obtinet: cui nouos ad victoriam mundos quæri oportebat, ad quos aſpirare tantùm, ac illacrymari moribundo ALEXANDRO licuit, ſponte profeſſo, ſe ne vnum quidem ſubiugaſſe. Hinc ſi Magnos faciebant, inani & ambitioſo titulo, vſurpata, Gottici, Vandalici, Germanici, cognomina,

mina, vt ſaltem illa in trophęum irent, cùm populi vinci non poſſent; an non multò maior Princeps is, qui non titulo, ſed genere tam magna pręferebat nomina? pręterquam, quòd virtute eadem meruerit, & alter Germanicus indole, gloria, fato, fuerit. Noſtro igitur ALEXANDRO nihil ad primam hanc magnitudinem defuiſſet, pręterquàm, vt Regibus ad Regna natus, etiam Rex eſſet; ni mereri Regna, ac deberi pręclarius ſit, quàm habere: nec minores faciat fatorum iniuria, quos genus, & virtus maximos. Deſtinabatur ille, orbis iudicio, magnis ſceptris, & dignum Imperio conſenſus gentium, vox populorum fatebatur: nec erat, qui natam Regno indolem, dignam Imperio faciem contemplatus non ederet vetus oraculum, *Regnabis, ſi viues.* Orbis hęc culpa, vel iactura, qui dum annos expectat, dum deliberat, quam ſui partem Imperio eius traderet, maluit vel ipſe mori, quàm ſerò Regnare: vel ęquiora fata inter inuidiam annorum, Regnorumq. ne ętati ſuę, in qua immatura licèt, iam Regno maturus erat: neuè ſceptris eum tacito voto ambientibus iniuria foret, maluerunt, vt ęternùm tota poſteritas dignum orbis Imperio iudicaret, quàm ipſe nō toti Imperaret. Deinde Magni illi Progenitorum Manes, cum Alexandrum ſuum, non Bucephalos, vt ille *Macedonicus*, ſed Orbem regere poſſe, immò maiores terris ſpiritus gerere è Cęlo vidiſſent, aliam *Macedoniam*, alia Regna, id eſt, æterna quęrere iubent: rati, ſatis hic Imperatum, cùm meruit vel à Cęlo ambiri; ſatis Regnatum, cùm Regna faſtidire didiciſſet. Itaque *Magnus* hac parte erat, Auditores, ALEXANDER Noſter: ſed Regio animo, heroica indole, auguſta corporis maieſtate maior. *Non* is fucata illa, & ingenijs Hiſtoricorum adumbrata animi magnitudine præcelluit, vt currere niſi cum Regibus, exemplo illius *Magni*, nollet. Alijs ſe prodebat hęc in ipſo magnanimitas, longeq. nobilioribus indicijs. Curſus ei ad gloriam, non ambitioſo illo inferiorum contemptu, non faſtu,

& ar-

& arrogantia; quę aſſentatio Regiam magnanimitatem vocat: ſed Principe digna in omnes comitate, quæ à Maieſtate nuſquam diſcederet: ſed virtutis æmulatione, quæ diſcrimen perſonarum neſcit, mereturq. à purpura vel in vili lacerna honorari. Inerat ergo illi animus Regius, ſed non ad faſtum; inerat magna indoles, ſed qua non ludicro cum Regibus, ſed vero, ſolidoque cum omnibus ad immortaliiatem curſu certaret. Sed neque ad Coronam cum Leſcis Noſtris, dignus ad quem Coronæ potiùs currerent; nec tardauiſſent, niſi ad immortalem ipſe maluiſſet. Eiuſdem ingeniti ad præclara ſpiritus, vel ipſa vultus dignitas, ipſa oris maieſtas, oculorum vigor, frontis lætitia, auguſta proceritas index erat; per quæ diuitias animi non inuida prodit natura, quæque alijs impertiuerat, quos terrarum orbis Magnos dixit, vel habuit. Quid hoc iuuene orbis vidit vel ſine mollitia formoſius, vel cum virili maieſtate venuſtius? vt licèt oris gratia, vel ipſas vinceret Gratias; emendaret nihilominus in ſe paternum Cæſaris encomium, vt nonniſi omnium virorum vir fore videretur. Mirabatur noſtra Sarmatia, etſi ſæpè viſa mirari deſueſcimus; mirabatur Germania, atque Italia, quæ cognitum adamauerant, vt amiſſum magis deflerent; mirabatur, inquam, hos Regiæ indolis indices, qui neminem fefellere, niſi præmaturo occaſu, qui omina, ſpes, vota, auguria, omnium vno momento euertit. In cæteris neminem tam auguſti mentis interpretes fruſtrabantur. Non ocioſè mehercule in illa fronte, illis oculis, illo vultu natura poſuerat vim quandam maieſtatis, quæ & Regium quid ſpiraret, & intuentes ad venerationem, amoremq. pelliceret. Non celat illa in homine, vt in terris metalla & gemmas, intimos theſauros; ſed exteriùs præcones poſuit mentis, qui totum intuentibus narrent hominem. Iidem narrabant ad primum obtutum omnibus ALEXANDRVM Noſtrum, nec fefellit natura, aut ipſe naturam. Nam ſi ſpirabat toto vultu ingenuam bonitatem,

com-

comprobauit illam cultu in Superos, pietate in Patriam, obſeruantia in Regem, beneuolentia in omnes; ſi referebat Regiam grauitatem, aſſeruit illam dictorum, factorumq. conſtantia, etſi hæc in pertinaciam degenerare facilis, ſæpè innoxiam Principibus labem adſpergit:ſi redolebat prudētiam, magnanimitatem, munificentiam, adſtruxit eas pluribus, quàm pro ætate,& fortuna experimentis: quæ adhuc pro tanti capacitate animi minor, anguſtiorq. premebat in auguſto, ac generoſo pectore magnitudinem illam, quæ in parua fortuna ſeipſa minor, in magna maior ſolet apparere. Si ei prouinciæ, exercitus, populi, vno verbo dicam, Regna per ętatem, & fata obtigiſſent, neſcio an non probè cum Hiſtorico dicere auſim, per omnia hunc Noſtrum ALEXANDRVM, ſimilem Alexandro Magno futurum fuiſſe, ſed ſobrio, & non iracundo, quorum vtroque iam eum vicerat,multis æquauerat. Verumtamen cùm adhuc Regna deerant; ſibi ipſe, vt alijs ſciret, Imperabat, ac ſe literis, eruditione, peregrinationibus ad Regna erudiebat: cùm exercitus, & caſtra; ludicris ſe exercitabat, ſimulacra pugnę domi edendo, caſtella ex arte ac munimenta ſtruendo, oppugnando, defendendo, machinas bellicas fabricando, venando, iaculando, equitando. Quid multa? quamuis in impari adhuc, ſuo generi, ſuo animo, fortuna: nihil tamen humile vnquam cogitabat, aut agebat, niſi ad horam, ne otio noxia accerſeret, egregiè vel in hoc ipſo nominis ſui Imperatorem Alexandrum Seuerum, vt ſolebat alios quoque Carolos & Alexandros, æmulatus, ſolitum viliotibus etiam per ocium operis manus exercere, ſed tamen ocio Domitiani nobilioribus. Tandem verò, vt aliquando in veris caſtris rei gerendæ occaſio daretur,quam haſtenus ætas, vel tempus negabat, vltrò eam ipſe & foris apud Cæſarem FERDINANDVM Auunculum ſuum quærebat, & domi apud Fratrem Regem ſummo ſtudio poſt ſuum ex Germania,Italiaq. reditum efflagitabat. Nec optimus Rex diffe-

differendum ratus tam præclarum Iuuenis deſiderium, haud ægrè eum ad bellum Turcicum aſſumpſit, vt ſub ſua diſciplina, ac ductu, inq. tam clara militia tyrocinium deponeret. Iuit, iuit fortiſſimus Iuuenis, iam militi Caligula, ſed non Caius, alacri animo vt ſuum, vel hoſtilem ſanguinem funderet, vt Religioni, Fratri, Patriæ, prima militiæ rudimenta conſecraret; nil niſi caſtra, hoſtem, pugnas toto itinere agitando. Sed, ò fata! poſtquam fama Regię expeditionis hoſtem terruit, fugauit, exarmauit: flamma Martij pectoris, quæ in hoſtem efferbuerat, in ipſum, quòd tam facilè debellatum eſſet, eoq. prima militię auſpicia irrito voto abijſſent, ſenſim dęſęuijt; auctoq. ex contagione morbo intra paucos dies abſumpſit. Extollat nunc, & ferat ad aſtra adulatrix antiquitas, Regios ſpiritus ALEXANDRI ſui, ad victorias paternas ingemiſcentis, metuentiſq., ne nihil vincendum Pater ſibi relinqueret. Grauiùs ecce alter hic ALEXANDER ad victorias fraternas, inter priuatæ, publicæq. lętitiæ affectus indoluit; quem cùm victrices Aquilas ab vltimo Septemtrione in Orientem ferre cerneret, ipſaq. nominis, & aduentus ſui fama terrorem Orbis terruiſſe; veritus, ne ſibi non ſupereſſet glorię materia, ſupereſſe ipſe noluit. Licèt enim ſuum putaret, quicquid in commune decus *R*egiæ Domus Frater *R*EX geſſiſſet: ſuperat tamen omnes in generoſo pectore affectus gloriæ cupiditas, vt ei & pietas Paterna, & caritas Fraterna, ſæpè concedat. Qua etiam ALEXANDER hic *N*oſter victus, etſi lætabatur fraterna, & publica fælicitate, & ſupremo ſpiritu colluctatus, exemplo alterius Alexandri *R*egis Proaui ſui, pro domitis Barbaris lætas ęterno *N*umini gratias referebat: indignabatur tamen fatis, ac properatę paci, quę ſibi ad bellicam gloriam viam pręcluſiſſent. Sic ille: At *R*EGI *N*oſtro, at *N*obis, & *R*eipub. vt rerum mortalium fert natura, in tanto rerum ſucceſſu, cumulatiſq. tropheis redijt funeſta Aemiliani triumphi poſt debellatã Macedoniam facies.

facies. Perculerant ibi tum amiſsi duo filij Patrem triumphantem: hic amiſsus Frater Regem Victorem. Sed vtrobique vna & de hoſtibus, & de priuata calamitate triumphatum. Donauit ibi Reipublicæ Pater luctum ſuum, ex priuata Domus ſuæ iactura publicam fælicitatem auſpicatus: donauit & Reipubl. Noſtræ VLADISLAVS Rex eodem affectu, pari augurio, vt & ſe ipſum pridem, & tanquam victimam piacularem ſaluti publicæ deuouit. Binos & hic Fratres, vt ibi Filios, aggreſſa erant contagioſo morbo fata; ſed Cælum vno tandem contentum, Te IOANNES CASIMIRE, Magnanime Princeps, ſeruauit, vt alter veſtrum Superis, alter mortalibus documento eſſetis caritatis in Patriam Regis Noſtri, quà ſecum vtrumque immaniſsimo hoſti obiecit; eſſeſq. Tu in ſolatium, aut ſubſidium Dominationis Fratri, & Patriæ: gerens interim has cicatriculas, nobilibus cicatricibus æquandas, in perpetuum tuæ in Religionem, & Rempub. pietatis, quas propugnatum cum Fratribus ibas, documentum; quas non tam tibi morbi malignitas, quàm Martius ardor, quo in pericula & vulnera ferebaris, expreſsit. Tu verò, Optime Regum, (neque enim fas eſt, te non alloqui, qui etſi Reipub. cauſa abes, vt hoc etiam ei donares, affectu tamen, & luctu ades) Tu inquam, non eras contentus, vt Te, vt Fratres publicæ incolumitatis cauſa periculis obijceres, niſi altero eorum amiſſo, Tuum luctum Reipub. donares. Qui quidem tantus erat, vt Tua vox æternis monumentis digna audita ſit tum, cùm tibi referretur in Regio monumento non ſupereſſe iam nouæ vrnæ locum; reſpondiſti enim, fore vni locum, quem vtinam ego occupaſſem. Sed abſit, ò Domine, triſte dicto omen; affectum Fratris in Tua hac voce laudamus, rem abominamur. Tuam vitam tot ſalutes complexam cariùs Superi, & Orbis, quàm Tu, æſtimant. qua viuunt in Te, viuentq. nobis omnes boni, & Magni Alexandri. Immò

lętum

lętum accipimus omen, vt occupato iam toto inter mortuos loco, diu viuis Imperes: ęternumq. Tibi in pectoribus Ciuium ſtruas monumentum. Quin & illacrymaſti, noue Iuli, ad feralem Tui ALEXANDRI loculum, teſtatus amorem fraternum rarum, in Regijs præſertim Domibus bonum; quo & Nos antea ferè caruimus, at nunc à te reſtituto ita fęlices fruimur, vt non timeamus vetera Te Dominante diſſidia; qui Fratres Tuos amas vt Pater, vt Frater ornas, vt Rex auctoritate regis, conſilio & exemplo ducis, beneficijs auges. Sed quid dico Fratres? etiam ſubditos, qui cùm Te Regem dixiſſent, Tu filios adoptaſti. Verùm ad vos cum ALEXANDRO Noſtro redeo, Auditores; cuius en iam Regios cineres Sarmatia Noſtra, tanquam alterius Germanici Mater Agripina, Regijs infert monumentis, non Tyberium, non Piſonem, incuſans, quos iſta ſęcula non norunt, ſed fata, ſed piacula Noſtra, quę haud quaquam poterant, niſi tanti pretij victima, expiari. Iam ergo vltimum vale vobis dicit. In ſinu huius Patrię natus, altus, educatus pro eadem mortem oppetijſſe, ſi minus cui videtur, voluit certè cùm eò iuit, vbi occumbere pro Religione, & Patria, animus fuit, occaſio defuit, & vnde cum eodem moriendi animo, quo iuerat, vel potiùs morte ipſa redijt. Satis ſe vixiſſe profitetur, quando ita deſijt: ſatis, quando ita iam cępit, vt nunquam deſinat. Heroico quippe, & Catholico animo, mundum magis ſpreuit, quàm ille Macedo nouos concupiuerat. Referre maiores gratias & Patrię, & vobis, non poteſt, quàm cum Diuo huius Baſilicę, & Regni Patrono, cęteriſque ſuis, & Gentis Noſtrę Cognatis Cęlitibus, compri-miſque pientiſsimis Parentum ſuorum ſpiritibus, quorum cineribus mox ſociabitur, conſociatus iam ęterno, vt vouemus, conſortio, Deum precando, vt Seruatorem Noſtrum VLADISLAVM Regem, diu ſeruet; Principes Fratres, vni-

vnicamq. Sororem longęua incolumitate donet; Rempub. Noſtram ſaluam, ac florentem reddat; ac ipſe ita nunc totum Regium monumentum occupet vt inclyta hæc Baſilica, quę Reges coronat, & ſepelit, vtrumque diu oblita, iam non triſtes nęnias, ſed lętum pęana reſonet, exuuijſque ac trophęis hoſtilibus, qualibus olim collucebat, conueſtita, fauſta vota pro victorijs, & triumphis Regis Noſtri, Supremo Regi Regum, prece, cantu, ſacrificio, exoluat.

LAVREAE

Digitized by Google

Digitized by Google

LAVREAE ACADEMICAE
SERENISSIMO
POLONIARVM REGI
VLADISLAO IV.
VILNAM INGREDIENTI
Dicatæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

LAVRVS IAGELLONIA

REGII MANIPVLI SPLENDOREM

Nouæ Regiæ Coronæ longe lateque explicantis.

DIVINE grati carminis arbiter
Doce magiſtro pectine tinnulos
Latoe neruos, vt canoras
Sollicitante fides Thalia,
Regem loquantur: quem Iagelonidum
Educta claris Gloria Regibus
Tranſcripſit hæredem paterni
Luminis, emeritòque pridem
Regale Lechi Ius Capitolij,
Et liberarum flectere Gentium
Legèſque virtutèſque; gratam
Impoſuit capiti Coronam.
Hæc digna palmis: hæc Heliconia in-
Voluenda Lauru; poſcit, vt aureum
Regis LADISLAI *Maniplum*
Caſtaliæ reſonent Camœnæ.
At remigantum more volucrium
Tentandus aer: cui tenui placet
Tellure maiores Honores
Pindarico celebrare plectro.

Nam liberali Regia Laus via
Seruile tranſit vulgus, & infimos
Pertæſa cœtus, derelictam
Odit humum, fugiente plauſu.
Quiſquàmne certo tramite Regiam
Laudem aſſequatur? vel per inhoſpitas
Sublimis incedat procellas,
Incolumi. faciliq. paſſu?
Periculoſi plenum iter ambitus:
Inane mundi, non homini datis
Tranare pennis, & ſuperbas
Velle ſuperuolitare turres.
Quem Dædaleum non moueat ſalum,
Et culpa ceræ? quæ puerilibus
Affixa membris, dum cauentem
Siderei radios caloris
Demens parentem ſperneret Icarus,
Ardore victis decidit artubus:
Et ſole vicino crematam
Vendidit Oceano iuuentam.
O cera fallax! quæ violentiùs
Perire quærens, nec puerilitèr
Expauit æſtus, nec dolendam
Alitis Icarij ruinam.
Demiſſa ſperno: nec nimis ardua
Laceſſo prudens: hinc quoque tutior
Vates, olorinis premendos
Vocibus, Aeoliòue cantu
Mulcebo nimbos: & famulas tibi.
Quæcunque lætam Muſa feret chelym,
Rex magne LADISLAE *pompas*
Inſtituam, memoreſque Faſtos.

Digitized by Google

LAVRVS APOLLINEA *VILNENSIS ACADEMIAE* REGIAS LAVDES VARIIS

Terrarum Prouincijs & Regionibus occinentis.

QVO Muſa tendis? num glacialibus
Ad humiderum mœnia ciuium
Regnata ventis, & niuoſi
Cæruleas Aquilonis arces?
An quas Iberus poſsidet Heſperus,
Et mane nato Phoſphorus Inſulas
Aſpergit? aut ad æſtuoſas
Carpathij, Libyaue Syrtes?
I perge felix, & vacuam metu
Præſcribe noſtris carminibus viam.
Sed, qua ſecuturum fidelis
Me tibi, te mihi iunget ala?
An qua triformem Bellerophon eques
Euaſit Hydram? me leuis vngula
Nuſquam per auras, nec per vndas
Pegaſei mala fulcra dorſi
Impunè tollent. Nam celer igneæ
Victor Chymaræ, at cælitùs inditi
Non victor œſtri, vix peractum
Miſcuit exitio triumphum.

Qualem ſupremi nutibus ImperI
Obedientem fulminis alitem
Expertus olim Rex Deorum
Iuppiter in Ganimede vecto,
Ad porrigendas Cœlitibus dapes:
Talem Poloni ſideris incolam,
Certique Reginam volatus
Pieriis Aquilam paciſcor
Votis: per Euros quatenus & Notos,
Me Theſpiorum cantibus amnium,
Dulcique Pindo conſecratum,
Remigibus iuuet ire pennis
Deſiderantem, quæ Litauos regit
Et bellicoſos nobilitat Lechos,
Regis LADISLAI coronam
Perpetua redimire Lauru,
Noſtras moraris Dux auium preces?
Inuita lentum tollere corporis
Onus, tremiſcentèmque duci
Regna ſuper, populòſque molem
Inferre nimbis? num liquidi ſimul
Coniunctiores aeris hoſpites
Leuamur? & vilis tabernas
Atque tholos apicèſque terræ, &
Sublimiorum celſa cacuminum
Querceta, bini linquimus alites?
Leuamur: & tuto ſtupentes
Per Zephyros ferimur volatu,
Viciniores cernere Dardani
Ianum Quirini: qua Capitolium
Poſſedit VRBANVS, potentis
Grande decus columenque Romæ.

ROMV-

LAVRVS ROMVLEA ITALIAE REGIAM CORONATIONEM

Triumpho excitato celebrantis.

TVus canoris in Latium, tuus
Vates Camœnis ducor, & inclytos
Rex magne LADISLAE *narro*
Auſoniæ celebris triumphos.
Te Roma ſeptem collibus occinens
Regem Lechorum vulgat: & æreum
Certamen inſignes tubarum
Inſtituit variàtque plauſus.
Circumuagantes excipiunt ſonos
Et Volſcus Vfens, & penetralia
Veſtæ: Palatinauè rupes
Pampineis venerantur vlmis.
Romana pubes miſſilibus rogis
Factas in vſum lætitiæ faces
Permiſcet, & ſpectaculorum
Artifices iaculatur ignes.
Incendiorum ſponte volantium
Sublimè iactis feruida ſpiculis
Dumeta, certatim Latini
Ora trahunt oculoſq. vulgi.

 Iucunda

Digitized by Google

Iucunda flammis aſtra petentibus
Terrentur Alpes, & lacrymabili
Pauore deſudant odorum
Malobathrum, Syriùmque coſtum.
Extruſa viuis balſama quercubus
Fluunt, anhelo quæ rapiunt ſinu
Valles, coronatùſque lambit
Oenotria Tyberinus alga.
At, quos inunčto candidus Indice
Ad immolandam circulus Hoſtiam
Fecit Senatores Tonantis,
Romulei ſacra turba Myſtæ
Vſtis Sabæi thuris odoribus
Complent ſacratos & precibus lares:
Quis credat? e cælo ſonorum
Templa ſubit populòſque murmur.
Rex Sarmatarum, Lechiadum Pater,
Dux Littauorum, Lux Iagelonidum
Regnet LADISLAVS, *gubernet*
Indigenas, Patriæque viuat.
Ac bellicoſum promoueat ſolum
Ad vſque magna maxima Thraciæ
Pangæa, regnatàmque primo
Ambiguam Salamina Teucro:
Quicunque natum terminus educat,
Hoſtem Polonis, hunc celeri pede
Rex tangat, adiečtis Gelonis,
Sarmatiæ, pauidiſque Moſchis.
Inuičta ludat prælia, quæ ſequens
Miretur ætas: & Iagelonium
Dučtis per Europen quadrigis
Fama vehat pretioſa Regem.

A V-

LAVRVS AVSTRIACA GERMANIAE AVREVM SECVLVM

In Regiæ coronationis honorem innouantis.

REX viue, donec Phœbus amet polum:
Agàtque tutas Te Duce ferias
Regina Libertas, diùque
Sarmaticam tueare gentem.
Sic Roma vult: ſic Teutonicus tibi
Precatur aer, dùm veteris iubet
Lucere Saturni calentes
Delicijs opibùſque ſoles.
Formoſa Chloris, quam iuuat unicè
Rubiginoſam debilibus luem
Spicis, & optatis malignam
Tollere perniciem racemis,
Fœdata bello gramina demetit:
Et peſtilentem, ne pereat labor,
Siccans cruorem, de miniſtris
Heſperidum calathis ſororum
Mixtas acanthis ac violis roſas
Mœrore feſſis depluit oppidis:
Tandem ſepulchrales per vrnas
Liligeris comitata Nymphis,

Crude-

Crudeliorum ſæce cadauerum,
Tabòque prauo turpia, Theſſalis
Abſcondit herbis, ac venuſtis
Prata nouat, reparatq. nardis.
At ſumptuoſos Mygdoniæ lacus,
Hyblæque rores, & lacrymas Thaſi
Depaſta ſub noctem pruina
Stagna tegit, fluuiòſque mutat.
Dulceſcit Albis nectare, calibum
Vincente ſuaues excubias apum:
Graiùmque mirantes Hymettum
Mellifluo lauat amne ripas.
Quem Formiani purpura Cæcubi
Portare vellet, Nyctileus latex
Accurrit, importatq. Rheno
Vina Syris potiora botris.
Gemmante fundo procreat indici
Maris lapillos, & dominos Mydæ
Cenſus, Erythreaſq. guttas
Danubius, bibulìſque poſcit.
Rorantis arcus curribus euehi,
Alturus apto flumine pendulas
Nubes, & heroos Polonis
Sardonychas pluiturus agris:
Ne cedat Iſtro præda, vel efferorum-
-Hamis Getarum: ſic Lechicos amat
Et Litthauos ornare fines
Auſtriaci noua forma cœli.
Ligatus inter Teutonas, & Lechos
Inter fideli duret amor iugo:
Dum Libra Menum, dum Polonam
Sicca reget Cynoſura Baltim.

HER-

Digitized by Google

LAVRVS HERCVLEA
HISPANIAE
Martiam in hoſtibus ſuperandis Felicitatem
Sereniſsimo Regi Poloniarum ominantis.

Laborioſum promoueas iter,
Regalis aptans laudis idoneos
Apollo cantus, & viator
Heſperiæ peregrinus oræ
Accede rupes, quas domitoribus
Neruis ferarum durior Hercules
Effregit, ac nouis Iberam
Marginibus foueiſq. Tethym
Aucturus, illinc protinus Abylam,
Hinc ſtare Calpen iuſsit, & Africo
Diuiſor Europes ab ortu,
Occidui memores laboris
Fixit columnas. At bicoloribus
Frondoſa gyrans vimina Populus
Inuoluit vlnis, & recenti
Ligna tegit folio: virentis
Quæ cauſa vitæ? num pauor Aeaci,
Tutela cœli, Graiugenum decus,
Defenſor Alcides Deorum,
Herculeas rediuiuus orbi

Vires

Digitized by Google

Vires & annos iunior attulit?
Vt multiformem ſupplicio luem
Immergat, & lentè peruſtis
Myrmidonum Dolopumuè monſtris,
Ex infideli carcere Cerberum
In veriorem ducat Achaiam,
Et dulce fallendi venenum
Tartareis adimat colubris?
An vt cruentet, qui venerabili
Deſeruientum concilio Iouis
Vagum Comatarum Senatum
Arboribus, rudibuſq. truncis
Demoliuntur, ſcilicet irrito
Furore motis plus nimiò minis,
Titanas, affineſq. culpæ
Horribiles feriat Gygantes,
Vltor Tonantis? num gladio premet
Nuſquam otioſos depopulantibus
Seruire Centauros rapinis?
Et Lechiæ ſpolijs onuſta
Stymphalidarum plauſtra, gementibus
Includet antris? aut facilis capi
Leues Muſurmanni cicadas
Lethifero cruciabit igni?
Numquid ſuperbæ diuitijs Cypri
Plenam ter amplo Geryoni togam
Demet, triumphaleſq. currus
Quadriiugis ſinet ire loris?
Tam læta quis non diligat omina?
Si vera: veri non timeo dolos,
Dum ſpecto florentes reducta
Populeos anima coloſſos.

C OE-

LAVRVS COELESTIS

DIVI SIGISMVNDI III. POLONIARVM REGIS REGI ELECTO VLADISLAO IV.

Felix imperium vouentis.

EXpergefactum creditis Herculem
Regnare mundo? cernite Lechicum
Regis LADISLAI dicatum
Conſilijs humeriſq. Cælum.
Grandæua Lechis brachia, diruto
Mortalitatis ſtamine, regius
Subtraxit Atlas, & labantes
Depoſuit tumulo lacertos.
O ille quantis dignus amoribus!
O quot rotandos voluere menſium
Flexus renaſcentiſq. Lunæ
Dignus erat numerare cunas!
At Parca vernis floribus obruit
Præſtantiorem vere meridiem
Vultus, & æqualem placere
Supplicibus tumidiſque frontem.
Tam faſtuoſos quis ſatis horreat
Morſus Aprilis? qui nimium ſibi
Licere, regalèſque febri
Auſus erat cruciari venas:

Donec

Digitized by Google

Donec ſubactis inuidiæ capax
Mors liberaret membra caloribus,
Et vota templorum morantem
Eueheret ſuper aſtra mentem.
Vbi quietæ gratior accola
Aeternitatis, tot famulantium
Candente ſtellarum nitore
Suppoſitos radiare crines;
Caſtoq. cinctos igne tot aulicos
Miratur orbes, quot croceo priùs
Conſpexit ardentes metallo,
Et comites habuit clientes.
Hic nunc beatæ flumina gloriæ,
Et limpidorum diuite colligit
Gemma liquorem gaudiorum,
Quæ Deus ipſe ſua perenni
Diuinitatis nectare diluit:
Nunc ſempiternas vix capiens ſui
Inter voluptates, & inter
Elyſios ſpatiatur hortos:
Nunc delicatis Aligerum cibis
Conuiua cœli veſcitur: aut ſedens
E nube ſpectator recenſet
Aetherio ſua regna vultu,
Quid orba Lechis Suecia cogitet:
Aut, quod rebellis Moſcua perfidos
Regi LADISLAO tumultus
Exhibeat, cuneos trabales
Et lora Moſchis ſpondet: at Herculi
Magnos ferenti cum Litauis Lechos,
Regale promotura ſceptrum
Fata rogat, placidumq. Numen.

REGA.

LAVRVS REGALIS SVECIAE

Tum priſtinam populi rebellionem tum præſentem Regni ſui ſtatum deplorantis.

QVam mœſta noſtro Suecia viſui
Occurrit? ater membra tegit color
Mœroris index, & latentes
Eloquitur nigra palla queſtus
Demiſſa plantis: num ſceleris pudet,
Et ſeruitutis? quod malè patrium
Inſigne, natiuùmque ſceptrum
Reddiderit, trabeàmque Regi,
Qui ſubditorum cœtibus expulit
Cultus auitos, & Iagelonium
Coegit eiurare nomen:
Hinc Lechicas ſpoliare Gazas.
Tractis auaros per mare nauibus
Inuexit hoſtes, quidlibet arduus
Sperare, mendicòſque luctus
Eſthonicis fabricare campis:
Dum per ſubactos Liuonas, altior
Vindex Paterni nominis & fugæ
Inceſſit, ac maiore flamma
Villiacas tremeſecit ædes:

Quam

Quam capta ſenſit Pruſſia, flentibus
Notanda guttis: Nil ibi Vandalus
Reliquit intactum, nec vllis,
Sacrilegos ſpeculantis auſus
Et fulminantis Numinis immemor,
Pepercit aris: ſed mareotico
Calore ſortis blandientis
Ebrius, Imperio parabat
Victor ruinam, quam tamen impigrò
Deprælantium robore Teutonum
Oppreſſus impleuit, rebellis
Auxilium exitiumq. turbæ:
Quæ victa caſo cum Duce corruit,
Et peruicacis cornua ſpiritus
Attrita plorat luctuoſis
Nequitiæ domitæ ſepulchris.
Sic dum latronem barbaricis tenet
Canis leonem dentibus, abditas
Quærit tenebras beſtiarum
Grex rudior, pretioq. capti
Ducis redemptam claudit in auijs
Luſtris ſalutem: ſed melior toris
Et fortior quandoq. Taurus
Degeneres fugiens latebras,
Prædonis vngues ac ſtomachum induit,
Donec moloſsis faucibus influat,
Et pelle, defuncti cruentas
Augeat exuuias Leonis:
Aut fœdus oret, difficiles genu
Ponente faſtus; vt metus Iliæ,
Remiq. Pœnos odientis
Hannibal, Haſdrubale interempto.

LAVRVS
SACRA
PIETATIS
Lætam Regni Suetici immutationem augurantis.

Mors digna luctu, digna gementibus
Spargi fluentis, ſecum aliam trahet
Mortem praoptandumq. luctum:
Augurij niſi lætioris
Irata læuo verterit aleam
Fortuna iactu: poſthuma Cimbrici
Liuoris, & Faſtus propago,
Præda nihil miſerantis Orci
Matura pœnis occidet, occidet
Damnoſa labes, & ſcelerum ferax
Caligo, quæ linguæ ſceleſtis
Artibus, ambiguæq. vitæ
Abominandis noctibus inclytas
Prouinciarum veſtijt areas,
Craſsisq. diuinum pudendi
Flagitij tenebris Honeſtum
Damnauit: Audis Lechia Suetico
Augenda mundo? occurre dolentibus
Surgentis & creſcentis æui
Dedecus, interitumq. Fatis.

Digitized by Google

Nouus Polono effulſit in æthere
Phœbus, gementis nubila Sueciæ
Pulſurus, erranteſq. nigra
Dedecorum leuitate nimbos,
Cognata Phœbi, Cynthia Lechiæ,
Fax veritatis, Filia Numinis
Nutrita ſub fauſta Latinæ
Relligio Pietatis aula,
Quidquid malorum reſtitit, eruet:
Quidquid bonorum proderit, aduehet:
Morumq. doctrinæq. lucem
Vandalica referet iuuentæ;
Et doctioris iura Panatij
Gotthis reducet, non ſine Palladis
Decore, Muſarumq. riſu:
Ac veteres renouabit aras,
Per quas cicatrix ægra fatentium
Lingua doloris vulnera mentium
Deletur: & candente byſſo
Puniceus ſacra liba Myſtes
Immutat: Audis Lechia Sueticum
Auctura cœlum? occurre vocantibus
Vitam Polonorum, fidèmque
Præſidiumq. manumq. Diuis.
Nec te retardent æquora perujs
Frangenda roſtris; ſi placet, occupa
Foros volaturos quaternis
Nauigijs; tibi deſtinata, &
Inſtructa plenis brachia dirigit
Antenna velis: quæ comites viæ
Naualis appenſas loquuntur
Hiſtorias, proauoſq. Nautas.

AEQVO-

LAVRVS AEQVOREA NEPTVNI

Regias Naues Regio Honori AD traijciendum Mare Balthicum conſtruentis.

Mirare: flauis aurea linteis
Chimara caeſi detinet arietis
Villos inauratos, Achiui
Nauigium ſpoliumq. Phryxi.
Huc Theſſalorum ſubſidio Ducum
Dux ipſe Iaſon fretus, in obuiam
Aut mortis, aut vita duellum
Irruit, æripedeſque Tauros
Aetnam vomentes naribus, impulit
Glebas abeno findere ſarculo:
Preſsitq. ſomno ianitorem
Auriferi nemoris Draconem.
Conchyliatis picta coloribus
Vexilla Tigris portat: & Ilion
Succendit, aſtutoſq. Doras
Palladium ſimulare donum
Fingit relictis cedere Pergamus:
Et mox reductis nauibus, impias
Auctore per ſcalas Vlyſſe
Attonitam ſuperare Troiam.

Digitized by Google

Hic flere iuſsis inſidijs ſtruit
Sinon Pelaſgam Dardanidis necem,
Et Troas vſuræ doloſam
Conſecrat effigiem Mineruæ.
Vdam latentis mœſtitiam ſoli
Deplorat albis candida ſupparis
Centaurus, vrgentemq. totum
Diluuiem ſepelire mundum.
Natant gementes inter oues lupi:
Merſis inhæret cerua biſontibus:
Nec cauda pauos, nec columbos
Roſtra iuuant, neq. crura damas.
Sorbentur vndis omnia, & omnium in-
Feliciorem conſpicit exitum
Felix Promethides phaselo
Aonios adeunte colles,
Seruàtque vitam. Sed violarijs
Intincta Scyllæ carbaſa, Dardanus
Inſedit Aeneas, iturus
Marmorei per aquoſa Nerei,
Et regna Cretæ: nunc Lilybeia
Turrita ſaxis & ſcopulis vada,
Nunc erro, piratas adactis
Obſtupuit trabibus Charybdes;
Lauamque Circes deſerit inſulam,
Et longioris caſibus exilI
Promiſſa Laurentis Numici
Fana petit, varioq. gyro
Deſiderati Tybridis arduas
Euicit vndas. O ita Sueticam
Rex magne LADISLAE terram
Cum Lechico ſubeas Maniplo.

TRI-

LAVRVS TRIVMPHALIS
REGII HONORIS
Hæreditariam Regni Suetici Coronam & Sceptrum adituri.

Sic præparatam ſcindere Balthici
Pontum Bootæ, Vandalicas Honor
Regalis obtenture claues,
Et patrios aditure portus,
Inſcende claſſem: nec timor æquoris,
Nec, quæ ſub imo conſideat vado,
Formido tempeſtatis obſtat
Sollicitis properare malis,
Diſcede, clarus Tyndaridum nepos,
Sueciq. lucens Arctophylax freti
Aquoſa ſublimi flagello
Aſtra fugat, Danauſq. Pollux
Inſurgit armis: atq. adamantini
Splendens Orion fulgur acinacis
Euibrat, in veros timores
Oleniam redigens capellam,
Ne temperati lætitiam ſalis
Exſuſcitatis deſtruat Africis:
Strictoq. cogit occidentum
Luctiſonas Hyadum choreas

Parere

Parere ferro, terribiles ſecùs
Daturus ictus: hinc pluuioſior
Quieſcit Arcturus, timètque
Nubigenas animare fratres,
Immurmurantes Pleiadum choro
Calcante nubes: hinc ſtudet Aeolus
Arctare folles, & ligatos
Obijcibus manibùſque Natos
Domi coercet, ne maris otium
Tumultuoſis flatibus aſperent,
Verſiſque, tranſtrorum, carinis
Dilacerent tabulata: Solus
Regnabit Auſter, qui Iagelonium
Gottis Honorem mœnibus inferat,
Et flante protruſas ſuſurro
Veliferas comitetur alnos:
Quas curioſa, ne teneant moras,
Ceruice ſupplex ire petit LEO
Promptus LADISLAI decora
Ferre triplex diadema fronti.
Ergo citatos remigijs Honor
Inſume fluctus: & tibi debitos
Suadente Fortuna penates.
Ac facilis dare iura Sceptri
Viſure gemmas, non ſine Lechici
Creſcente regni Flore, tenacium
Auelle dentes anchorarum;
Iam paribus ferienda remis
Volunt natari cærula Balthidos:
Et recta ſciſſis prora rudentibus,
Magnèſque director viarum
Aequoreas iubet ire pinus.

Digitized by Google

LAVRVS THRACIA LVNAE

Contra leuem in Vallachia timorem & fugam Turcarum exæſtuantis.

DEfixa Threſsis flamma coquit genis
Exæſtuantis cornua Cynthiæ:
An conſecuturos ruborem
Flammiuomo parit ore ventos?
Num ferre thyrſos, & trieterica
Saltare ſuetas orgia Mænadas,
Buxoſq. cantorèmque Bacchum
Suſcitat? vos voce filiorum
Inſanientis Tigridis æmulas
Conſeruat iras? quas fugientibus
Ductum LADISLAI Manipulum
Vallachica per aperta Flore,
Et indecoros Aemonidum globos
Fœdo natantum ſanguine, Concanis
Illiſit, adiungens tonantes
Dira fugæ maledicta voces.
Quo? quo retuſa corda ferocia
Pulſante molles Thraces anhelitu,
Vrgetis auerſas equorum
A Lechicis phaleris habenas?

 Notaſne

Notaſnè veſtris plauſibus & iocis
Aeni plateas, & Cythereios
Cados, Ariſtæique ſaltus
Pollicito meliora vultu
Fruſtra petetis? vox vbi plenior,
Vox illa dictis, mille, crepantibus
Torquèſque captiuóſque currus
Moldauitæ ſimulacra prædæ?
Quando nocentis, dulcè canentibus
Permota ſiſtris, maſsica Leſby
Non martios ſuaſere ludos:
Tam ſubitò periere veſtræ
Trophæa linguæ? vertite perditas
In bella dextras: non premit impares
Caditque mortales triſulco
Altitonans Iouis ira telo.
Humana cogunt prælia diſpares
Sermone gentes: ſtate, vel hoſtibus
Nuſquam receſſuris, fugatas
Cum timidis iaculis pharetras,
Et pulchra Serum cingula vendite:
Vt efferati belligerum caput
Mimantis, & duros ematis
Hectorei clypei furores.
Numquid Typhoeus. & trepidantibus
Intentus aſtris centimanus Gyas
Receſsit, euulſiſque longus
Porphyrion iaculator ornis?
Sic præliari diſcite: talibus
Incenſa verbis Luna volantium
Vſsit Gelonorum timores
Sarmatici refugos Gradiui.

MOL-

LAVRVS
MOLDAVICA
REGIAE FORTITVDINIS
Circa Daas reprimendos ſub nomine venti Cori repræſentatæ.

SIcut marino dum ſatur halitu
Septentrionis regius abnepos
Vagatur, exultàtque Corus
Ima potens variare ſummis;
Tempeſtuoſis vorticibus frequens
Vertigo ſpicas vellit, & hiſpidis
Culmi laborantes procellis
Debilitant iuuenes ariſtas,
Donec labores egregios boum
Euulſa radix hordea deſerat:
Et meſſe facunda per agros
Orba Ceres lacrymetur agros.
Portante victis pauperiem ſatis
Squallore totum contegitur nemus,
Nec certa maieſtas roſetis,
Nec ſuus ordo manet viretis.
Aeſtate natus quos tepor induit
Lucos, reuulſa diffugiunt coma:
Et triſte ramorum ſolutis
Excidium dominatur vmbris.

Sublimis

Sublimis Ilex imbriferas priùs
Iras refringit, mox humeros minor
Procumbit, & frangi dolentes
Sternit humi moritura frondes.
Horrore nigro concita pallidi
Tumultuatur Regia Nerei,
Et ſæuit; emotumq. fundo
Vertit hyems inimica pontum.
Nec deſtitutæ ſubſidio rates
Durare poſſunt imperioſius
Aequor, ſed inuitis fatiſcunt
Inter aquas pereuntq. rimis:
Doctrina claui vincitur, & nihil
Prodeſſe tonſas linàque nauitis
Teſtantur, Argiuum ſecantes
Ionium pelagus biremes.
Ad occupandum fraudibus Ilium
Bis mille ductas preſſus inhorruit
Tiphys Pelaſgorum liburnas:
Sed patrios repetens penates
Vix dena mœſtæ erepta voragini
Puppis, cupitæ reddidit Atticæ
Graios, recompenſante fumum
Naufragio, cinerèſque Troiæ.
An parua clades, quæ Lacedæmonas
Vltore fraudum gurgite perdidit?
Paruam fatebor; nam tulere
Argolicis grauiora damnis
Et plura Turcæ: dum Iagelloniæ
Felicitatis duxit amabili
Nexu LADISLAVS ſequentes
Litthauiæ Lechiæque vires.

FOR-

LAVRVS FORTVNATA VICTORIAE

Infelicitatem Turcarum *Et* Felicitatem Sarmatarum celebrantis.

F*Acunde prodi Rumor, & inclyto*
Exercitati carminis adiuua
Clangore, diuinas tacentis
Sarmatiæ recitare palmas.
Quando Polonis finibus intulit
Inominato buccina claſsico,
Daco refulſuri cruore
Attonitos Orientis enſes.
Inordinatam Strymonis indolem
Abdera miſit, miſit Acarnia,
Et Lemnos, augenteſuè Seſton
Oſtriferi latices Abydi
Motos paternis ſedibus incolas
Miſere: tanti ſed numeris gregis
Vaſtas adæquauit caducis
Funeribus, cumuliſq. foſſas.
Quid ſplendor arcus, cui cerebrum deeſt?
Aut fuſus auro quid clypeus, ſine
Mauorte, formoſuſq. iuuat
Sed vacuus rationis vmbo

Contra

Contra Polonæ tela potentiæ,
Et Marte natum robur? Iazyges
Viſa LADISLAI ſariſſa,
Vt lepores pauidiquè Cygni
Viſo ruentis vulturis impetu,
Quem fortuiti pellit amor cibi,
Fugere: vel terram cruento
Semineces petiere mento;
Dum Martiarum Lechica virium
Affixa longis brachia ſpiculis
Magno per obiectos fragore
Maſſagetum ruerent aceruos.
Quin ore pallens, ac genibus tremens
Emortuorum Dux Othomanidum,
Cedamus, inquit, ſat triumphi
Semianimem retuliſſe vitam.
Illum perempta Nænia Daciæ,
Seruiq. iunctis cum querimonijs
Planctus cateruatim ſecuti
Aemathiam doluere cladem.
Plorare merſo doctus ab Orpheo
Plorauit Hebrus diues: & aureo
Pacem redempturi tributo
In pretium cecidere fletus.
Viſuſq. denſas per corylos vagum
Orbelos ignem ſpargere, fortium
Gauiſus aduentu Lechorum,
Qui varijs Aſiæ trophæis
Aucti, tenerent candida Teucriæ
Cryſtalla; blandus quæ Simois parit,
Sparſiq. ſeruans commorantes
Relliquias Priami Scamander.

PACI-

LAVRVS PACIFICA
INTERREGNI
SINE VLLO
hoſtili exterorum incurſu
VEL
inquieto Indigenarum tumultu feliciter exacti.

QVid Luna? pallet: præteritam dolens
Cædem ſuorum, pulſaq. Biſtonum
Vexilla, quæ victis pudendum
Opprobrium retulere Beſsis.
An concitato fulmine Sarmatas
Velociores, & cupidos noui
Regis LADISLAI ſecundas
Auſpicijs iterare pugnas,
Formidat hoſtes? anxia, ditibus
Pelli Mycenis exul, & Iſmaris,
Viuoq. ſaltata Lyæo
Thyrſigeris Rhodopes tenebris.
Cur non profanos in Libyam ſinis,
Faſtidioſis iuncta doloribus
Lamenta deportare coruos
Digna polo meliore Luna?
Correcta plani ruga ſupercilI,
Et expeditæ ſollicitudines
Vultum reducant, quo nitebat
Paruus Hylas, Gnidiuſuè Gyges.

Secu-

Securitatis mater, & arctici
Cometa cœli, quod gemina ſimul
Fatale plorauit ruentis
Deliquium tumulùmq. ſtella,
Pax, Pax in albis lenis oloribus
Optata Lechis commoda ruribus
Aduexit, & cunctis ſtupendam
Litthauia Lechiæque vicis
Iucunditatem: ſedula, diſſitos
Inuſitato fœdere limites,
Latàſque colligare metas;
Ac niuei ſtudioſa Iuſti
Rectique certam currere ſemitam
Diſſentienti fræna Licentiæ
Iniecit, annosòſque ritus
In faciles reuocauit vſus.
Nec non trecentis impia turbida
Vinxit catenis colla Superbia:
Luxumq. pacato minantem
Omne nefas, furiàſque regno.
Citis vorandum tradidit ignibus.
Hinc iuſta veram Temperies Fidem
Seruauit, & iurata Sanctis
Tecta Suos habuere cultus.
Hinc & cauentum Rege, ſerenior
Ridente cælo Iuppiter vrbium
Diuina defendit Lycæa,
Et nebulas pluuiòſque rores
Cum fraudulentis iuſsit ad Oricum
Migrare ventis: ne pluuialibus
Famoſa riuis mergerentur
Pulpita, Cecropiæuè Sellæ.

SENA-

LAVRVS SENATORIA ET EQVESTRIS

Feliciſsimæ inaugurationis Regis VLADISLAI IV. eiuſdemque coronationis.

EXterminatis PAX vbi Lechicas
Abſoluit oras ſeditionibus,
Totum gubernatura regnum
Indigenas adijt Quirites;
Et complicato ceſpite conditum
Ingreſſa vallum, qua patiens aqua
Cœleſtis, hybernaq. noctis
Nobilitas, vario natantes
Motu loquelas, verbaq. miſcuit;
Deliberantis prouida Curia
Decreta, firmauit quieto
Ingenio: dubiòque ſenſu
Caliginoſis diſsona legibus
Illuminato pollice nubila
Deterſit, & fixis diſertum
Conſilijs decus arrogauit;
At contumaces Thermodoontia
Dep̃raliandi voce libidines,
Rixaſq. gaudenteſq. lites
Ancipitem triplicare linguam,

Et diſ-

E tdiſsidentum murmura, proximi
Merſit profundis amnibus Iſtulæ:
Callenſq. prudenti fauore
Vnanimes ſociare frontes,
Albas datorum pacifica manu
Suffragiorum compoſuit notas;
Donec coronandum probarent
Lechiadæ Lithauiq. Regem;
Quem cura Diuum, pluribus obtulit
Emiſſa terris; & Iagelonius
Aptumq. vicinumq. ſanguis
Sarmaticæ genuit Tiaræ.
Secuta Pacem vota Quiritium
Plauſere linguis: viuat Iò, Iò
Viuat LADISLAVS *vacantis*
Dignus ebur ſoliùmque Regni
Augere ſacræ lumine Purpuræ,
Fauſtòque ſceptro regnet Iò, Iò
Regnet LADISLAVS, *Polonos*
Et Lithauos habeat Quirinos.
Sic vouit Orbis cum Superis; ita
VRBANVS *orbis Rector, & Auſtria*
Cum FERDINANDO, *ſic Iberi*
Cum Socijs petiere Belgis.
Quis foſſor Idæ, quis Babyloniæ
Cuniculoſis antra ligonibus
Exploret, Aegæique ſciſſas
Orchomeni videat cauernas?
Et de reperto marmore cæduum
Summis coloſſum nubibus inferat?
Vt pacis excelſum futuris
Prodigium pateſiat annis.

SAR-

LAVRVS SARMATICA

GRATITVDINIS

Marmoreum Coloſſum

PACI

In Vilnenſi Academia erigentis.

QVæ fauſtitatis conſcia Ciuitas,
Portabit Indis montibus erutam
Petram, locuturamuè molem
Inſolitæ monumenta Pacis?
Audita raró talia Littauis,
Nec viſa Lechis ſecula manibus,
(Quæ nuper exultim creato
Sarmatiæ nituere Regi)
Inſculpta duris non ſine Caucaſi
Stupore venis, num Lechicis volent
Cerni plateis? qua vetuſti
Buſta ſuper ſilicèmque Craci,
Faſtigiatis nixa palatijs
Memphiticarum culmina turrium
Surgunt, & exciſa Caryſto
Aut Phrygio Sipylo feneſtræ,
Videre ceras, & titulos nouum
Regem ſequêtes, cum Iagelonium
Dixit Sacramentum, Polonis
Iura vouens, animumq. terris.

Seu fortè malunt Viſtuleos propè
Fontes locari? quos generoſior
Patrona regalis pudoris
V A N D A ſuo rubefecit oſtro,
Intaminatum nubere ſpiritum
Amni marito fortis, & exterat.
Odiſſe tædas. Num Borei
Perpetuas Heliconis ædes,
Doctamq. cernent marmora porticum?
Quam Deliarum Cynthius incolit
Apollo Muſarum Sacerdos,
Et celebres moderatur artes?
Vbi calentum iurgia mentium,
Et diſputantis prælia Socratis
Sedante componit cerebro
Pallas; Olympiacaq. Nymphæ
Nunc eruditum Parthenio uadum
Plaudunt natatu, nunc Litali terunt
Myrteta Pindi, nunc apricis
Eloquij recreantur aruis.
Hic fixa narrent marmora, perpetim
Teſtante ſaxo. tempora Lechiæ
Credenda longis poſterorum
Ordinibus: varijq. cælo
Sculpantur arcus, & lyra feruidæ
Cantata Vilnæ: cùm populus nouo
Et vſq. & vſq. & vſque Regi
Magnificis crepuit theatris:
Salue, decoro ſeu placeat ſago
Lechos tueri, ſeu potius toga,
Vtroque R E X S T V P E N D E: *ſalue*
V I L L I A C A E *nouus hoſpes* V R B I S.

FOEDE-

LAVRVS FOEDERATA SARMATIAE

Sub ſpirante vento Borea latentem Moſchorum perfidiam deteſtantis.

C Lementiorum Numine ſiderum
Apeliotæ Pyramidi nouæ
Fauete, ac ventoſa ſtantem
Præcipitet Libitina Pacem.
Quid vana ſurdis ad timidas preces
Affundo nimbis vota? frementium
Stridore ventorum expaueſcunt
Littanicæ Lechicæq. quercus.
Audi: remotè vociferantium
Huc appropinquat ſibilus imbrium
Maturus obſtantes cupreſſos,
Et patulas lacerare fagos.
Quis perduellem Ventus originem
Inauſpicati diſſidij vehens,
Vndante conatur tumultu
Per Lechicas equitare ſyluas?
Mutis quieſcit Nilus Eteſijs,
Qua ſurgit Eos, & redeuntium
Cum luce curarum diurna
Diſtribuit renouatq. penſa.

Clauſo modeſtos ore ſilentij
Franos Iapyx mordet, vbi cutim
Transformat, & prandente torret
Aethiopas Procyon fauilla.
Elata ſeros Oeta Fauonios
Dormire iuſsit, qua vigilantibus
Cœli pauimentum coronat
Andromedes genitor lucernis.
Immugientis flamina gutturis
Agnoſco: durus Sithoniæ niuis
Regnator, & ſiccas cremata
Vite tumens reboanſq. fauces,
Et caluus hirtum frigoribus caput,
Crudoq. capro inſutus, & hiſpidis
Tibicen incomptus pruinis,
Fœdifraga Boreas ab Arcto
Maiore barba, ſpirat, & improbi
Fœcunda belli crimina ſeminat;
Mentitus intonſum Catonem
Aut rigidi faciem Lycurgi,
Rumpenda, ductis militibus, docet
Pugnæ ligata vincula: Sarmatis
Periurus, imbellis, niuoſus
Cæcus, Hyperboreoq; flatu
Latè Tyrannus diſſecat aera:
Iniurioſi turbine ſulphuris
Vinci reluctantes, adurgens
Ruſſiacos agitare muros:
Donec ſeueræ emota Seueriæ
Caſtella iacto puluere ſubruat:
Captaſq. vicinæ triumphet
Litthauiæ populator, arces.

BEL-

Digitized by Google

LAVRVS BELLICOSA

LITVANIAE CLASSICVM MILITARE CONTRA Moſchouiticos tumultus occinentis.

AD arma: ruptis libera funibus,
Et diſſoluta compede Moſcua,
Non ante deuictis Lechorum
Finibus, indomitoq. Regno
Nodos ahenos, & Rhodopeias
Nectit catenas, quas ſibi pertinax
Detraxit, auulſitq. toruis
Non humilis mulier lacertis.
Materna laudans facta Boryſthenes
Et conſtituti transfuga limitis
Bacchatur, & flecti preteruus,
Littauico ſolidata pacto
Nondum euoluti littora fœderis
Incontinenti proluit alueo:
Vltraque præſcriptum, refuſis
Seruitium refugit procellis.
Ad Arma: neptis peſſima Gorgonum,
Leæna belli, pronuba luctuum
Bellona, diuulſo refringit
Terrificas adamante portas.

Et clauſa centum vectibus excutit
Formidoloſi limina prælij:
Hic purgat enſes, hic maligna
Cote feras acuens ſecures,
Atrociorum pectore Thyadum
Periura Lechis Claſsica detonat:
Sæuamq. Moſchos concitantis
Tartarea rabiem Megaræ
Percepit ingens Othrys, & inuia
Non hoſpitalis frigora Tauricæ
Mirata paſtorale
Egelidos pepulere Ciues.
Armata fœdis turba bipennibus
Verſare glebas aptior, inſcium,
Clamare non pugnare gnaro
Corde fremit, digitiſq. bellum.
Bellum Polonis incutiunt plagis
Immixta raucis tympana fiſtulis.
Ad arma Lithuani QVIRITES
Intrepidis properate dextris:
Impleto fidas vertice caſsides,
Ferrata coſtas lamina muniat,
Læuas obarment & potentes
Scuta ſinus, animaq. magna
Vicina cordi viſcera: defluo
Mucrone ſtipet balteus ægida:
Viuuſq. curſuris in hoſtem
Inſtruat ardor equos lupatis.
Nec criſta deſit, quæ deceat viros,
Promptumq. Martem prodat, & horridus
Addiſcat ornari genarum
Belligera feritate pallor.

GENE-

Digitized by Google

LAVRVS GENEROSA

MARTII HONORIS ACIEM POLONICAM EQVITATV ET PEDITATV Commode inſtructam ordinantis.

AVdimur? an me ludit aheneis
Defenſa ſquamis copia Militum
Ductore certantùm Gradiuo
Parrhaſios operire campos?
Iam ſigna lucent, & tuba martias
Emouit aures, iam litui trahunt
Examen Arctoæ timendum
Perfidiæ, gelidouè Tauro.
Pars irretorta fronte proteruior
Maiòrque cerni vadit, & igneis
Accenſa lychnis, æneärum
Librat onus graue fiſtularum,
Timenda vallis; doctàque plumbeam
Vocante pugna ſpargere grandinem,
Nimbùmque ferales pluentem
Verticibus laterique glandes:
Aut ſubleuatas hoſtica per trabes
Currente planta ſcandere mœnia,
Per pila, per contos, ad ipſum
Præpetis inſtar auis cacumen:

Aut dum diei iuſta datur quies,
Suadètque fraudes noctua, commodi
Soporis expertes tueri
Peruigili ſtatione noctes.
Pars Martiali ſtemmate nobilis
Proles Deorum, tecta fruentibus
Pardis, & erectis feroces
Preſsit equos metuenda cornis,
Qualis minaci Laomedontios
Poſtes Achilles contudit ariete,
Qualiſuè deceptos cecidit
Idomeneus Sthenelusue Troas.
Laudata cedant Numina Græciæ:
Laudanda creſcunt Numina Lechiæ
Maiora Græcis, & ſepultis
Dardanidum potiora factis.
Num danda ſoli laurea Scæuolæ
Auſo potentem viſere Porſenam,
Victiſque cum ſtupore flammis
Tarquinij cobibere faſtus!
Antiqua ceſſent: hic Agamemnonas,
Lechòſque Pyrrhos, & reduces licet
Spectare Lauſos, hic Polonos
Scipiadas, Litanòſque Druſos.
Tantas at inter Dux acies Honor
Anciliorum, & Sarmatici poli
Promotor, acceptum furorem af-
Fingit equis, equitùmque turmis
Certante, ſacris pro patriæ focis,
Letho parandas monſtrat adoreas;
Laudèſque victuras perenni
Sub ſtatua, veniens in æuum.

MVNI-

LAVRVS
MVNIFICA MARTIS
TVM DONA
SERENISSIMO REGI
& Militibus offerenda
TVM POENAS
Moſchouiæ tanquam perduelli infligendas præparantis.

HOrrenda Martis forma pauentibus
Inſedit aruis. Moſchica Littaua
Ardore non paruo phalanges
Bella vocant, rapidaque pugnæ
Inauguratam magnanimis citant
Horam querelis. Sic auidi calent
Pugnare Lechi; ſic paterni
Congenitis facibus Decori
Succenſa pulſat corda, celerrimis
Hoſtile caſtrum inſultibus aggredi
Aurata Libertas, nouique
Regis amor iubet, atque Famæ
Diuina merces, quam nota cedrinis
Impreſſa lignis, aut Phrygius lapis
Cælante promittit cauatus
Arte Syracuſij Mironis.
Palleſnè viſis Moſcua Sarmatis?
Iam ſulphuratis fœta caloribus,
Primæque prælusura ſtragi
Fulminibus, liquidouè plumbo,

Tormen-

Tormenta rauco cum tonitru parant
Lethale fulgur: iam ſitiunt globi
Deferre veloces rotundam
Vulnifica leuitate mortem.
Fractura Moſchos haſta, recentium
Rubere geſtit flumine vulnerum:
Iam cuſpis, & bellator enſis
Qui Geticos reſerauit artus,
Pertranſituro verbere perfidas
Nigro Charonti cadere victimas
Expectat, & diræ petitas
Inferias duplicare cymbæ.
Mars ipſe, leues cui galeæ placent,
Et Lechicorum ſplendida corporum
Lorica, conſeruans priorum
Militiamq. genuſq. Patrum,
Benè ominatis conſpicuum rotis
Mirtoq. cinctum conſtruit eſſedum
Pro REGE, preſſuraſq. frontem
Dalmatico linit ære gemmas:
Nec non dicatas nobilibus comis
(Mauortiorum præmia crinium)
Lauros, & æternos Honores
Fortibus accelerat Polonis.
At infidelis dona proteruiæ
Truces cataſtas, & Chalybum ſeras,
Clauoſq. procudit doloſis
Ferre Lechos Litauoſq. Moſchis.
Inſana quanto Moſcua, non vides
Furore pecces? quicquid agas, pio
Regis LADISLAI fauori
Iunge manus, animùmque reddas.

THEATRVM
GLORIAE

Potentiſsimo atque Inuictiſsimo

POLONIAE AC SVECIAE

REGI

VLADISLAO
QVARTO.

Ab

ALMA ACADEMIA VILNENSI
Societatis IESV extructum &
Conſecratum.

Anno M.DC.XXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PANEGYRICVS.

IN tam alto Pacis ſinu, cogitare de Te non poſſumus. VLADISLAE Rex Inuictiſsime, quin ſimul menti ſeſe offerant vniuerſæ rerum à Te præclare geſtarum imagines, & Te in memoria noſtra comitentur. Nemo formã Tuam venerabilem, Fortunęq. parem ſuſpicit; nemo corporis ſpeciem, dignum Regali animo hoſpitium admiratur; aut illuſtres præſentis felicitatis euentus veſtigat, vt in eis ſolis ſeſe mens librare, ac ſuſpenſa hærere poſsit. Auguſtus ipſe vultus, manus militares, pectus imperterritum, rapit attonitam retrò cogitationem, & per pulcherrima laudum tuarum ducit veſtigia. Occurrunt hoſtes bello fuſi, datæ Barbaris leges, impoſitum victis iugum, fines Regni promoti. Meritò Hercules noſtræ ætatis vocaris fortiſsimus, quòd non tantùm magna agas; ſed etiam, in plenam tuorum rectè factorum admirationem, aurea & immortali catena trahas non inuitos.

Digitized by Google

inuitos. Noua licet ſemper edas, quæ miremur: retorquemus tamen in priora oculos, quaſi tunc ſub manu naſcerentur. Poſtrema cognituros, ita collecta omnium operum turba pulchris erroribus implicat, & in difficultatem ſeligendi, tanquam in Labyrinthæos anfractus conijcit, vt ijs ſeſe nemo expedire poſſit, niſi Orbis totius iudicio, velut Ariadnę filo nitatur. Effeciſti itaque vt cùm recordatione Tui, contra ingrati animi inſidias, pietas ſeſe inſtaurat, nè breuem quidem iam de Te cogitationem quiſquam habere, aut prolixa facta in compendium reminiſcentis animi ſtringere poſſit Nouo iam miraculo, plus calamo Pictorum, quàm Menti humanæ licet: quòd ille Orbem terrarum exiguo linearum ductu circumſcribat, nulla veri iniuria, aliqua molis: hæc res à Te geſtas in ſummam cogere nequeat, niſi & magnitudinem attenuet, & minuat veritatem: vt facilè aduertamus immenſum hunc Naturæ ambitum, nomine Tuo minorem eſſe. Quamobrem dabis mihi veniam, Rex Inuictiſsime, ſi me, dum Præſentem Poloniæ ac Lithuaniæ tranquillitatem, Tua fortitudine partam mirari vellem, memoria in anteceſſum reiecit. Non potui in limine maximæ huius gloriæ animum figere, priuſquàm per heroica priorum annorum facinora, veluti per gradus aſcenderem. Tantum enim eſt hoc opus, vt peragi ab eo ſolo potuerit, qui in ceruicibus potentiſsimorum Tyrannorum iam antea triumphauit. Verebar præterea, ne Patria quereretur repentè me ad intima Pacis prouolaſſe, creſcentibus per bella limitibus non inſpectis. Intelligo itaque, quàm arduam humeriſq. imparem Prouinciam ſuſceperim. Nam cùm tam egregia roboris inuicti monumenta nulli omninò, quantum ad ſtuporem ſatis eſt, ſpectare fas ſit; oculi omnibus Imperij Tui annis, operumque luci non ſufficiunt: Multaq. à me prætermitti neceſſe erit, dum conniuebo interdum, nimioq. ſplendore perſtrictus, debilem, ſed ſic quoque venerabundam, videndi aciem ſubmittam.

mittam. Quod enim è publico Orbis terrarum Comitio ingenium ſeligi poſſet, deſignarique, quod ſingularem Tuam fortitudinem, qua Hoſtes domuiſti, non diſſereret modò erudité, ſed placidè intueretur? Et vt ab ipſo Regni tui exordio, Orationis meæ ducam initium; cuius eloquentia delibaret illum inſignem Patriæ amorem, qui te recens inauguratum Regem è Solio in Caſtra rapuit? ſolicitam ciuium curam, quæ è Sereno in immanem Belli Moſchouitici tranſtulit tempeſtatem? pręclaram militaris artis peritiam, cui quicquid diuturnus oppoſuit labor, leue fuit, nec ad ſenſum ferè virium peruenit? Hoc tuæ virtuti irritamentum, potens omnium rerum moderator & Auctor Deus prouidit pulcherrimum, vt ibi Securitatis Fortunæque Tuæ fundamenta iaceres prima, vbi Perfidia tempus locumque pugnæ præripiens, plus ſe valituram præſumpſerat. Diſcere ſcilicet debuerunt omnes in ipſo regnandi limine, eam eſſe Potentiæ Tuæ vim, quæ bellicos apparatus pertinaci ſtudio, impendijſque quæſitos, ſubito diſijcere poſſit incurſu, & æterna conſilia momento euertere. Quid profuit multorum annorum pacem in bello fabricando poſuiſſe? valentes populos immenſis inuitaſſe ſtipendijs? ne contraherent indigenæ crudelitatis veternum, & furendi languorem, iram manuſque exercuiſſe? quid clandeſtinas tanta celeritate vires, extra ſuarum fines Prouinciarum, ſub principem Seueriæ arcem exportaſſe? quid habuere firmitatis, longè ante foſſæ apertæ, cuniculi furtim ducti, propugnacula vndique erecta, montes caſtris inſtrati, viæ denſis cratibus ſeptiſque impeditæ, cohortes quædam obſidioni affixæ, quædam populationi prædiſque deuotæ? Tam portentoſa enim humanæ ſolertiæ inuenta, vno propè intuitu ita diſſipaſti, vt palam iam conſtet, cum aliquid aggrederis, gladium à Te ſæpius ſtringi non debere. In vno ictu tantum ponis virium, quantum ſufficit ad terrorem, & victoriam. Vulgò iam iactatur, ambigua

Digitized by Google

bigua bellorum in Te non cadere, neque vlli relinqui Martem communem, cùm prodis in aciem. Nam quis aliqua fortitudinis nomina in ſuis partibus eſſe credat, qui pręſens Tuę poteſtatis fulmen cogitat? aut quis de certaminis euentu dubitet, qui Te ſequitur? Nemo infeſta prodigia, occurſus mali pręſagos, omina infelicia, fletus ſimulachrorum, Tecum obſeruat. Auſpicium fortunatiſsimum eſt Te videre Imperatorem. Solus Tuę fiducię conſpectus, mira arte quadam, certam ſuis ſpem diſpenſat animoſque: Aduerſarijs metum, vitę pericula, fugam oſtendit. quanquam ne hanc quidem auderent ſperare, niſi Te cogitarent. Sciunt nempe in Tuis votis nullum ſanguinem eſſe niſi rebellem, darique ſpatium ſaluti quęrendę. Hanc clementię anſam male arripuerunt, quotquot non tam ſibi obſidebant Smolenſcum, quàm Tibi ſeruabant. Eiecti enim omnis propugnaculis, ad Schinum nefarię factionis. Signiferum ſe receperunt, ignari, obſtinatione eius, ſe citiùs perituros. Nam cùm parcere velles, contumacia tolerandę obſidionis famiſq. Tibi militauit; elementis Tecum conſpirantibus, vt negarent illis commeatum, & opportuna corporum ſubſidia, qui Tuis legibus viuere nollent. cùm nihilominùs ſeruari optarent, neque cum cœlo tranſigere, Te inuito, poſſent, Tuis accidere ſupplices genibus; vt ibi auram vitalem rurſus ſecurè traherent; vbi Clementia & Humanitas excubat. Plus hic pręſidij repererunt & ſpei, quàm in arcanis terrę latebris, quibus corpora infoderant; aut altis terrę aggeſtę montibus, quibus, contra tuas excubias, nihil erat pręſidij, plurimùm ad libertatem recipiendam impedimenti. Quid hic ego commemorem inſolitam Moſcouię vniuerſę lętitiam, cui ciues remiſiſti liberos; ſed iam doctos, polluti fœderis religionem ſolo perduellium ſanguine elui, niſi Victoris indulgentia lachrymas malit? quid acclamationes abeuntium, vota pro Tua ſalute gratulationes Victorię, quam in Tuis mani-

manibus ſtupere maluerunt; quàm ſuis periclitari? quid cohortes Nationum plurimas, quarum pleræq. teſtes benignitatis Tuæ ad Barbaros iter direxere: nonnullæ per varias ſuæ Patriæ Vrbes diſperſæ ſunt, vt vbique virtutis præcones haberes? quid ipſum Belli motorem Sehinum, quem eiectum finibus, è viuis expellendum miſiſti, ne vel ſepulchro Tuas terras funeſtaret, vel ſumendi obſequium ſupplicij deeſſet Duci, ad ſeruitutis ac pœnitentiæ teſtimonium? quid æreas baliſtas magnitudinis inuſitatæ, cæteramq. belli ſupellectilem referam, quæ non ad miraculum tantùm opum, ſed etiam ad maius dimicandi robur acceſsit? O Præpotens Polonia ac Lithuania! quid potius in hac tua felicitate miraberis? Fortunamnè Regis potentiſsimi, qui ſuas curas, vigilias, ſudores tibi ornandæ impendit; vlteriori procurſu Victoriam proſecutus eſt, tentamentis belli pacem extorſit? an limites Regni latè protruſos, perennique ſecuritate ſtabilitos? Fuerit id ſane ante hac ſolenne, Terminos erigere, & ſtantibus prouincias diſcernere columnis: maius eſt, publicum extorquere Sacramentum, & non ab Artifice metas, ſed ab ore manuque in fidem coeunte, iuratam terrarum accipere quietem. Quam gratiam non iam pro laboribus tantùm, ſed pro liberalitate quoque eximia Tuo Principi referes, qui tam multa eripuit, vt poſtquam ampliſsimos Regionum tractus Tibi adieciſſet, ſupereſſet, quod Hoſti tribueret? Sic quoque in te profuſus, cùm titulum electi Magni Moſchouiæ Ducis publicæ paci donauit. Macte hac Tua munificentia, Rex Inuictiſsime, qua ſceptrum Moſcouiæ poſuiſti, vt accederet Tuo Maieſtas: proieciſti Michaëli, ne amplius laruam, imaginemque Principis velut in ſcena oſtentaret. A Te habet, quo ſe Magnum videt; non habiturus, niſi Tu exuiſſes, vt Maximum nomini Tuo indueres. Tuum eſt, eò vſque victoriæ amplitudinem proferre, vt, nouo exemplo, Magnos facias, quos vincis. quanquam ſub hoc quo-

que titulo paruus eſt; quo cum velut ſtigmate ad obſequia inuſsiſti. In vocabulo ſolo gerit magnitudinem. Nam cùm ei tres Seueriæ prouincias deripuiſti, Verba videris dediſſe Magnifica, vt ab ore Tuo Magnus inter ſuos iret, quem manu feceras capitis minorem. Sed tot tantaque ſatis eſt perſtringi, quòd & à multis iam prolixè ſæpius dicta ſint, & pro dignitate explicari plenè non poſsint. Reuocat me à domito Septentrione Oriens ingenti populorum multitudine ſuperbus, qui cum ſuis diffideret viribus, grauiſsimo bello aliud ſuperiecit, vt diſtracta potentia nullibi te totum haberet. Suæ tamen temeritatis conuictus eſt, poſtquam animaduertit, tantum Tibi adfuiſſe animi, vt integer vbique eſſes; & alibi quidem auſpicijs hoſtem detineres, alibi perficeres Victoriam. Quemadmodum enim, qui priores inimicitias fœdere leui componunt, vt imminenti occurrant periculo, hoſtem mutant, non auferunt tranquillitatem: ita vincere vnum, vt formidini ſis alteri, non exiguum eſt venientis triumphi argumentum. Modum itaque vincendi mutaſti, & tantundem Te poſſe, ne ſtricto quidem mucrone, oſtendiſti. Ad gloriam enim nominis Tui pertinebat, eum ſine conflictu vincere, cui dum ampliſsima Imperia colluctarentur, illigata armis, proſtrataque, nec dum ſe erigere poſſunt. Timebat quoque Amurathes, ne, ſi in certamen brachia laxaret, Conſtantinopolis complexu excideret. Iam enim didicit pugnandi voluntatem apud Te pro Victoriæ pignore eſſe. Quanquam ne ſic quidem robuſtus iam validuſque fuit. Terror quippe ſic manus religauerat, rigoremq. induxerat neruis, vt, ad aduentus Tui famam, Valachiam Tuis ſubmiſerit ſuffragijs, nec ampliùs infames Europę prędones in vicinis retinere luſtris potuerit. Audiuiſti, cùm ſupplex in ipſius Regni aditu hærens oraret armorum quietem: quaſi idcircò tanto impendio bellum mari, terraq. vexiſſet, vt pacem, tot Gentium manibus ad petendum com-

compoſitis, impetraret. Dimiſſus inde, limitibus non tranſcenſis, in Thraciam exceſsit; veritus, ne, ſi auram Sarmaticam perfido ore ſemel duceret, præſtricto collo eam in barbaro cœlo expirare non poſſet, & thronum ſucceſsione fatigaret. Exemplum prouidè fugit in Oſmano, quem Tua egregia fortitudine, ita turpem ſuis in ſolio oſtendiſti, vt ſeruili auſu, ei liberam Imperij coronam demendam iudicarent. In fatis iam eſſe videtur, ne vllus, qui armatam contra Te erexit manum, ſceptra tractare poſſit, niſi quæ dederis, aut conſeruaueris. Semel ergo illam mouit, vt Abaſſium perfidię totius Ducem Tibi victimam poneret, & facem belli ſanguine Auctoris extingueret: ſic etiam memor Caracaſsij Baſſæ, quem, quia cibum ſibi quondam interdixerat in Caſtris ſuis, in Tuis promiſerat, voti reum ad inferos damnaſti. Id enimverò ad laudis Tuæ incrementum ſpectat, quòd hoſtem ita timoris contagione occupes, vt nihil illi relinquas iræ, aut audaciæ, niſi quantum ad pœnam infligendam ſatis eſt. Quidni igitur liberum ei receſſum concederes, qui precibus ſuis hoſtile caput adiunxit, ac veluti annumerauit, vt non tam ſupplicium, quàm vectigalis penſio eſſe putaretur. Inuenit nouus, ſed melior, Caligula vnicum iugulum, in quo veſanos Orientis ſui totius furores elideret; aut ſalutem conſeruaret. Eant nunc Decij, egregij illi Patriæ amatores, quorum ſpiritu inter infeſtas acies poſito ſpirauit Roma, & morte vixit. Ita illi Reipublicæ emebant vitam, cùm ſuam hoſti offerrent: laudabiliter quidem ſed temerè: non ſine pietate, ſed cum ſuperſtitione. Tutius excogitauit Amurathes Imperij ſui præſidium, cùm ceruicem prædonis potentiſsimi laqueis obiecit ſtrangulandam; ne halitus peſtifer libero aeris ſpatio exceptus pari lue quempiam inficeret. Itaque Thracia meliùs ſuis animis viuit, peritura ſi alieno impetu ſua corpora diutius agitari permiſiſſet. Quàm verò non pœni-

Digitized by Google

teat ſuæ vltionis Amurathem, teſtis eſt ille anxius labor in omni compeſcendo tumultu, quo Tuam potentiam rurſus excitaret: illa Scytharum ex finitimis campis depulſio, ne ſi latrocinia per Te coercerentur, clades ſe ſe Byzantio infunderet, & vaſtitas latè graſſaretur: illæ peruigiles excubiæ, noſtræ quieti attentæ. Nemo Poetarum muta pulchriùs Silentia in atrijs iacentis Somni locat, fingitque leuibus pennis laborare; ne truces venti tumultuentur, mobilium error foliorum ſtrepat, alitum lætitia murmuret, clament aquarum littora, cœli fragor audiatur. Non Mercurius aurea virga blandiùs centum Argi oculos componit, aut ſopit Iouis fulmina. In hoc autem cura eius amplior emicat, quòd aureis rebelles blandimentis, ferro in quiete contineat; nihilque magis habeat in deſiderio, quàm vt Polonia ſua tranquillitate fruatur. Quid ſibi voluit illud celebre, viuumq. munus, Magno Poloni Exercitus Duci nuper tranſmiſſum, captiui inquam tres & ſeptuaginta? Cur è medio Reipublicæ ſuæ gremio illos eduxit, niſi vt eſſent teſtes ſecuritatis, pacis quęſitę interpretes, fidei obſides? Quid additæ preces, vt Tibi Auctor ſit fœderis ſeruandi, & mutuæ quietis fouendæ? Ad tam inuſitatam prouidentiæ rationem, Tua illum compulit gloria & virtus. Non ſatis exiſtimat, ſemel ad veniam exorandam procidiſſe: prenſat adhuc identidem: patronos, cuſtodeſq. iuris obijcit. Ex his nemo dubitat, quam, collata acie, Tuæ reuerentiam fortitudinis habiturus fuiſſet, qui verũ iam formauit iudicium, quòd Orientem laceſſere intrepidè poſſis. Talibus Te boni publici curis intentum, ſperati in Pruſſiam auerterunt motus eorum, qui alienas rapinas ſuis optabant tueri ſucceſſibus. De quo mihi dicendum eſſe video copioſiùs, ne, ſi recentem felicitatis actum curſim tranſirem, malè affectibus humanis conſulerem; quorum noua ex proſperis rebus lætitia, ipſa etiam loquacitate ſe commendat. Sed nec rei

quidem

Digitized by Google

quidem magnitudo paucis dici poteſt. Quantum enim eſt eos vincere, quibus politi mores, ingenium ſagacius, bellandi ratio non in pereundi inſaniam pręceps, ſed ad prudentię artiſque bellicae praeſcriptum concinnata? quanti exiſtimandi ſunt, qui ſe inſtructiſsimis claudere mœnibus, arcibus, valloque obſtruere poterant? & hoc vnum longus induciarum labor agebat. Accedebat propoſito, quo bellum pati deſtinauerant, fiducia propinqui maris, & opportuni portus; è quibus neceſsitati praeſenti ſubmitterent ſubſidia, & bellandi ſitim aquis accenderent. Nam cùm didiciſſent ex ijs, quae geſſiſti, nullas dari ſubſtructiones, aut occulta terrę diuerticula, quibus tuam induſtriam immittere non poſſes: claſſem in promptu habuerunt, qua ſedem belli ad libitum in Liuoniam, aut Pruſsiam facilè veherent; &, prout vices ferrent, vires animoſque diſpenſarent. Et prouiderint illi ſanè ſibi hanc tutelam diſtribuendi Exercitus; vbique premi, nullibi premere potuiſsent: & vtrobique ad Tuam vim fuiſſet reſpectandum. Eum enim te eſſe iam orbis proclamauit, qui vbi non es, auſpicijs magnificą gerere, & fortunam in alienis manibus librare tutò queas. quanquam difficile eſt, Te non eſſe alicubi ſuſpicari; prętertim, cùm tanta celeritate rebus profligatis adſis, dubijſque accurras, vt ne ruinam quidem timeant, quae iam inclinata nutant, aut pericula in periculis aeſtiment. Oſtendiſſes igitur Hoſtibus; quid in hoc conſilio concordi eſſet diſcordiarum: & patiendi contumaciam ibi haberi non potuiſſe, vbi diuiſis in vtrãque prouinciam cohortibus, ſed integro & locis non diſſociato roboris tui conatu inſtares. Regnis maria interfunduntur: Tuam fortitudinem immenſi aquarum ſinus non intercipiunt. Alpibus praeruptis dirimuntur Imperia: Tua auſpicia nullo oppoſitu fatigantur. Frangit Aquilonum flatus denſa nemorum aſperitas: Tua arma

Digitized by Google

ab erectis molibus non accipiunt moram. Cur enim littora nauibus, Vrbes milite inſederas, niſi vt inuaderes opperientes, obnitentes vrgeres, fugientes, ſequereris, & in procinctu haberes, quo promoueres conſilia? Quæ porrò tunc maris fuiſſet tranquillitas? quàm amici coniuratique in quietem venti, quis præſagio præueniat, aut explicet factis? ad Hæredem agnouiſsent ſuum benigni fluctus; qui cùm toties tempeſtatibus excitatis rebelles hauſerunt, pondus iniuriæ ſuſtinerè non potuiſſe videbantur. Spectaſſemus nos quoque elementa tuis ſucceſſibus militare. Quos ignis puluere nitrato vreret, terra expelleret foſsis, aer peſte vitiaret, maria auidis gurgitibus abſorbuiſſent, & dulcem Regnorum ſitim amaris vorticibus reſtinxiſſent. Tanto enim apparatu in afflictam idcircò veniſti prouinciam, vt ad hæc omnia cogeres Naturam, quam Tuis ſeruire conſilijs docuiſti, & propè confudiſti cum Fortuna. Quid non pollicebare Tibi de nauibus egregiè inſtructis? quid de milite copioſo, quem non minùs dexteritate certandi, quàm vincendi certitudine imbueras? quid de Ducibus fortiſſimis, longa pugnandi conſuetudine exercitatis? In omnibus inſolita quædam erat alacritas, vt cauſam publicam manu agerent, & tantum viribus aggrederentur, quantum auderes imperio. Et hæc erat tua admirabilis prudentia, quòd ita commodè bellum inſtrueres; quaſi defuiſſet ille felicitatis promouendæ modus, quo viciſti. Præclarum enim eſt, & inſigne prouidæ mentis indicium, varias vincendi in expedito habere rationes, & velut adſtantia cum tabulis Fata, quod Ioui Antiquitas dedit, intueri. Laudamus gladiatorem, qui in arena capit conſilium: celebremus quoque neceſſe eſt Principem, qui diuerſis occaſionibus pacem, aut arma offerre poteſt. Talem Te igitur Hoſtes videbant, qualem quondam Fabium Hannibal. Copijs enim va-

lentiſsimis armatus, de ſublimi velut nubes impendebas: quæ non tantùm ſerenum promittere, verùm etiam furere procellis, fulminibus ſæuire, permiſcere omnia poteſt. Illud verò, quantùm prudentiæ arcanum eſt, quòd vt hoſtibus partes ſubtraheres, nullos eſſe voluiſti, qui neutrius eſſent? Indicijs Tuæ humanitatis inuitati, & illecti fortitudine, belli Societatem admiſerunt, vt agnoſceres, nunquam Tuos non fuiſſe, qui in incertum ſpes ſuas proijcere, & ad extemporalia obſequia, lætitiamq. ſubuentaneam, quam fortuita inflaret felicitas, affectus ſeruare noluerunt. Quid amplius ad fidei commendationem adijci potuit, quàm ſua latera omnibus euentibus excipiendis deuota oſtendere, & pectora tam fida, vt reſerari ferro optarent, ne lateret ſinceritas? Firmiorem illam ſemper exiſtimauerunt eſſe beneuolentiam, quæ periculis ſe miſcet, & obſeruantiam ex lege veræ amicitiæ, vtriuſque fortunæ iactui ſubijcit. Acceſſionem ergo factam, ad virtutem Tuam refero. Quam hoſtes præueniunt fœderibus, & ſubiectione anteuertunt: cur Tuæ Prouinciæ ſpontaneo occurſu non occuparent? Illa, illa, dubiæ lucis conſilia illuſtrauit: illa animos attraxit & gladios: illa ad egregia pro Te vulnera excitauit, tantumq. conceſsit audaciæ, vt expeditas in hoſtem manus erigerent. Vos tamen ego hîc non præteribo, Gedanenſes, non tam portu & mercium diuitijs, quàm fide Orbi noti. Vos enim, neque calamitates, graueſq. Ciuitatum ruinæ fregerunt: nec permiſſio mendacis libertatis blando vnquam illexit lenocinio. Vobis ardentium fumus vicorum, & denſa volantium globorum nubes, clariſſimam Poloniam non abſcondit. Noluiſtis tot veſtra in Rempublicam merita, ancipiti ſucceſſus expectatione corrumpere. Verſabatur ob oculos veſtros Saguntus, quæ pulchriùs fide & ſociali reuerentia cecidit, quàm proditione ſtetiſſet. Et verò viris indignum fuiſſe vidiſtis facinus

pectora & manus ad otium armorum damnare. Merito itaque vos, & pręſens Poloniæ ſtupuit felicitas, & memores laudabunt poſteri. Erit hoc admirationi, fuiſſe Vrbem, quæ ingentibus belli ſumptibus opinionem honeſtatis aluit, & Sueciæ totius vires, tanquam minas, luſit. Vobis debent ſuæ conſtantiæ laudem, cęteræ non infimæ Ciuitates, quæ veſtro exemplo, periculis gloriam prætulerunt. Fortis itaque Rex Inuictiſſime, fuiſti, Prouinciarum fidelitate, Regni viribus, Tuæ induſtrię fortitudiniſq. impenſis. In promptu habebas arma, animos, & conſilia. Ceperas præterea omnium propenſionem, vt ſub alienis præſidijs iam Tui eſſent. Te vnum deſiderijs proſpectabant aſſiduis, inuitabant, Votis Tuam incolumitatem ad hoſtiles aras commendabant, ſuam ominabantur libertatem. gaudebant, tacita per pręcordia ſerpente hilaritate, incidiſſe ſe in tam ſtrenuum Principem, cuius Virtus captiuos ſpe libertatis certa recrearet. Atque hęc eſt ſumma Tuorum ſucceſſuum gloria, quod militarium Tuorum decorum cogitatione ſeruitus ſperet, ęrumnę ad ſolatia aſſurgant. Hoſtes proinde corpora ſibi tuebantur, Tu animos habuiſti. Illi cadaueribus viuis pręerant, Tu potiſſimam, Naturę prudentis arcem, & humani generis propugnacula occupaueras, quibus quemadmodum homines, ita alicuius ſumus. Quid igitur tam admirabili omnium pręparatione non confeciſſes? quid procurſui armorum obieciſſet moram? & tamen conſilio ferrum tenuiſti, ne, ſi in hoſtes illud ſtringeres, Tuorum oculi perſtringerentur. Inducijs tempus deſignaſti, vt maturè proſpicerent, quomodo ſubijci vellent: mutua dicendi commercia conceſſiſti, vt quid pertimeſcere, amareque poſſent, in vultibus militaribus legerent. Adeò communis vtilitatis publica Te ceperat ęſtimatio, vt, dum manus armares, cum clementia loquereris. Quęnam altior pręſens Maieſtas Tibi adeò amicam fecit ſangui-

ſanguinis parſimoniam, vt tot annorum iniurię, direptiones Regnorum, prouinciarum expilationes, minùs valuerint ad vindictam cogitandam? quis hic modus Victorię eſt, vt ne palmam quidem de vllo obtentam probes, quam iuſtę irę moderatione priùs de Te non paraueris? Eſt profectò vis Tua in quodam Diuinę poteſtatis confinio, quę fulmen quidem ſemper accenſum gerit, ſępius tamen commiſeratione mulcet. Illa Tibi addidit mentem, ne quenquam perdere velles, niſi qui ſponte gladijs Tuis incurrere mallet. Crediderim, ſic quoque cędem à ſupplicij nomine vix poſſe excipi, cùm inſanę Furię perfida corpora in mites impellunt manus; vt nefarias animas in publico Iuſtitię campo expirent. At Tu Regalem auctoritatem ita humanitate ſemper exornas, vt vitam nemo deſperet, niſi qui Beneuolentiam ſolio adſtantem aſpicere nolit. Ferrum quoque non idcircò acutum geris, vt inimicitias punias ſemper, ſed vt reſeces obſtacula, quibus à Tuo acceſſu ciues arcentur. Quid non agis? quę impedimenta non inuadis, vt aditum prępares? Obijciuntur excurrentis in altum valli portenta: diſijcis. Opponuntur profundę foſſæ: complanas. Latebrę in imo terrę extruuntur: fame inuiſas reddis. tormentis bellicis atque omni fulminum genere fiducia obtenditur: adimis. Mars ac imminens belli ruina intercipitur diſputationibus: conuincis. tanto denique omnia temperamento aggrederis, vt non inuaſiſſe: tanta vi, vt expugnaſſe videaris. Sibi imputent, qui aliquando periere, dum manum ſuam pro Deo haberent, pedum Tuorum obliti. Ibi, quos, Aequilas ſubijcit, excipit Salus. libentius tamen ad manum admittis, vt in ea ſpectent liberalitatem, & è vicino, teſtimonium pacis in ferro legant. Laudabit poſteritas hanc belli gerendi rationem, qua ſic vteris, vt, dum corporibus minaris tela, animos debelles. Mirabitur tantum Te potuiſſe ſine pręlio, quan-

quantum bello prȩſtantiſsimi Imperatores non effecerunt: & in quietas quoque manus influxiſſe Victoriam. Tua repetijſti nondum educto gladio; & iuris, rationumq. prȩmiſiſti conflictum ante ſtrepitum armorum. Quantus igitur es, qui iratis oſtendiſti, vinci illos poſſe? Lucidam fuiſſe neceſſe eſt, & multo ſplendore conſpicuam veri ȩquiq. opinionem, quȩ auerſos oculos perſtrinxit. Laborent alij in parando exercitu, exuuijs ferarum terreant, inſidias & ſtratagemmata meditentur, hoſtilem inclinent aciem, graſſentur in caſtris: Tu nobiliùs proſecutus es ſucceſſum, quando ante pugnam, veluti præſentem monſtraſti victoriam. Habent hoc bella, vt ancipiti ſuſpenſos teneant exitu: at in tuarum virium aeſtimatione triumphum iam intelligere licuit. Deieciſti antea hoſtes arcibus, cùm milites in caede exerceres: poſtea Barbaros ſine bello, terrore ſolo nominis, in Tuas leges compuliſti: nunc demum, quia cum prudentioribus res erat, Victoriae in manibus Tuorum viuentis commonſtratione ſuperaſti. Quid hac re poteſt eſſe amplius ad magnitudinem, aut fingi auguſtius ad celebritatem? Quis ita per incrementa ſuam proſperitatem duxit, vt quandoque fauſtis viciſſitudinem non interponeret, laeta non infringeret mœrore, famam non attenuaret decrementis? Fuerunt quorum fortuna ſubitò ad altiſſima proſilijt: tandem pedetentim, ſucceſſibus imminutis, in exitium deſcendit. Nonnulli, vt gradatim in dignitates irreperent, ſuſpenſi interdum haerebant, & expectatione ludebantur: plerique magnas felicitates dubijs ſuſtinebant progreſſibus: Tu quia ductum Fortunae, Virtuti credidiſti, ne procedere quidem pari potes paſſu, quin Tuos labores excipiat altius faſtigium & acceſſio. Fluminum hic mos eſt, dum Caput aquae è proximo hauriunt, ripis alligari: mox aliarum illapſu vndarum, metas in latum extendere: tandem terra occultas euergente ſcaturigines, liquante

Sole

Sole niues, pluente cœlo, per plana excurrere, inuoluere vorticibus ſyluas, montes inſcendere. At maius etiam aliquid feciſti Nam fluuium quemlibet exſorbet vnum pelagus: Tu fortitudinem duobus iam Ponto Euxino & Balthico ita infudiſti, vt infractis gloriæ fluctibus, inde Thracum mœnibus, hinc Inſulis & portubus Sueticis terrorem illiſeris. Armati proinde exercitus, qui paulo ante magnarum ſæpè Vrbium in Germania victores, Gotticam violentiam in memoriam reuocabant, meritò ſtupebant ſola Tui conſideratione palmas ſibi in manibus infringi. Atque idcircò ſileat iam fulminatrix illa Periclis eloquentia, qua tantum valuit in omnes partes verſando Thucydidem, vt proſtratus luctando, perſuaderet ſe non cecidiſſe, in eamq. ſententiam Auditores traduceret. Maius enim Tuæ dominantis potentiæ eſt Imperium, quo non tantùm hoſtes, ſi cominùs ſe opponere audeant, proruis, ſed etiam eminùs clarè perſpicueq. illuſtras, proſperitatem Tibi deberi. In Te didicimus primùm; non ſolius id Naturæ opus eſſe, lineas quaſdam rerum magnarum indices manibus inſcribere, quas ſæpè vana præſagijs impedit religio. Tuæ lineamenta fauſtitatis dextera Tua circumfert, lacerti militum oſtentant, hoſtilia vulnera loquuntur, quaſi gladijs ad hoc aperirentur. Nemo iam aſtris regit pugnas, aut auſpicia bellis præmittit, ne ſuam ipſe ludicris cœli mendacijs confundat de Te ſententiam. Si tamen alicui nimis adhuc arridẽt veteres ſua fata noſcendi argutiæ, prudenter ego huic oppoſuero, aut Turcicam Lunam bis iam ad Tuum conſpectum in deliquium lucis lapſam, aut Moſcouiticam Aquilam Sarmaticæ ſuccumbentem. Ex his ille ſatis ſuperque ſtabilem colliget notitiam, quantum ſuis viribus fidere, Tuis cedere debeat. diſcet tutius eſſe, præripere è ſinu tuo ſalutem, per legitima pacis obſequia, quàm armis experimentum quærere. Crediderim

Succis

Suecis quoque, dum arma prima appararent, non temerè gemina hæc fortitudinis Tuæ prodigia occurriſſe: atque idcircò eò faciliùs ad deditionem Vrbium prolapſos, quò difficiliùs antea ſe gerebant. Tuam Tibi repoſuerunt Pruſsiam, maris oſtia aperuerunt, reddiderunt arces, Vrbeſq. Pulcherrimum erat ſpectare incolas longa captiuitate ſqualidos, hilaritatem tantam cultu præferre, quanta diuturnum mærorem delere potuit etiam vnica Sereno omnes occurrerunt vultu & Tuis victorijs concolori. Sola inconſulta priuati boni cura vultum demiſſum pedibus affudit; ſic quoque læta, quòd in Tuam Clementiam inciderit. Vidimus tunc Mariæburgum, opus illud Religioſarum manuum immortale, libertatis reditu recreatum: Elbingam ex pręſcripto miſericordię de genu hilarem; Braunsbergam, Prutenas illas Athenas, & inclytam literarum ſedem geſtientem. Viſtula quoque ripis, quas antea ſeruitutis impatiens exierat, ſtrageq. in vicina furebat, incluſit ſeſe, & omnem aquarum vim, quaſi fortiùs Te admiraturus, in alueum collegit. Quid Balthicum memorem fretum, quod tum primùm Sarmaticis aquis luſtrari, expiari ventis videbatur, cùm compedes ſeruitiumque eiurauit? Quid referam aggeres artificio inuſitato ſtructos, vallum aquis circumfuſum, mœnia in ſublime erecta, curam hoſtilis ferociæ? profectò tunc agnouiſti, ne eo quidem tempore, quo poſsidebantur, Vrbes Tuas non fuiſſe; quæ Tibi muniebantur: aut illos non Tuos, qui publicis commodis ſudabant. Quia enim reſtituerunt firmiores, ſic quoque inuiti damna & iniuriam penſarunt. Quid amplius facere valuiſſent, ſi iuſſiſſes? Occultis nempè itineribus Deus Tuam ducit inter hoſtes felicitatem, vt tum demum Tibi ſe laboraſſe intelligant, poſtquam perfecerunt; & in pretium laboris accipiunt vitam: niſi forte quis pœnam malit appellare, ab opere exilium. Non dicam itaque ego

otioſo,

ctioſo, feriatoque ferro, Exercitum Tuum fuiſſe, quo intra vaginam condito tanta ademit,& dum parceret ſanguini, ſudorem elicuit. At nos miramur Te vltra Maiores noſtros gloria iuiſſe, qui laudi ſibi duxerunt fortiſſimum Pruſſiæ propugnaculum ſtipendij ſolutione ab obſeſſis emere, vt Ciues ſeruarent: à Te & non empta Tua, & Tui ſeruati: non quòd tantum ciuibus non faueas, vt ſanguinem prodigere malis, quàm aurum, ſed quòd non debeas. Regiam enim eam licitationem vocas, ferro capita proijcere hoſti. Alium nundinarum locum ignoras, præter Martium campum, in quo Tu militum animos gloriæ oſtentatione, manus præmijs imples: illi ſine iactura expendunt. Hæc eſt germana fortium negotiatio, ſtrepitu armorum probare militaris ſinceritatem pectoris,& in ceruicibus hoſtium numerum inire. Tuum eſt igitur, Rex Inuictiſsime, quòd Reſpublica nullis in gratiam hoſtium expenſis auri, paruo ſanguinis ſui diſpendio,magno ſecuritatis bono, tot & tanta receperit. Tuum eſt, quòd ſe maiorem videat, quàm à Te ſit accepta. Plurimi Tuam munificentiam feciſſet, ſi ſeruaſſes oppugnatam: nunc verò, quando incolumem auxiſti, quibus hoc genus beneficij meritis compenſabit? qua gratitudine aſpiciet tractus Seueriæ latiſſimos, fines Imperij iuriſque Poloni vltra Tyram prolatos, Pruſsiam receptam, emporia ſeruitute liberata fluuios vectigalibus abſolutos, mare latrocinijs expeditum? Quod ſi nonnemo, quia vrbem vnicam ornauit luxu, inter laudum trophæa iactauit, ex lateritia, eam, à ſe marmoream redditam: quæ oratio Tuæ gloriæ explicandæ par erit, quando tot Ciuitates priſtino decori, Prouincias felicitati, Regnum integritati toties reddidiſti? Tantò enim maiorem eam laudationem eſſe oportet, quantò amplius eſt Patriam acceſſione Regionum, quàm Vrbem lapidum inuectione illuſtrare, aut cumulare populis quàm ſtatuis. Hanc ſibi diligen-

gentiam ille adſcripſit, poſtquam Deucalionas plures reperit, qui ſaxa in ſimulachra hominum refingerent; & à cœlo ac dolabra gentem lapideam in domos immigraſſe conſpexit: nos cur æternis non efferamus præconijs Tuam Curam, quâ tot populis exilio, aut ſeruiendi neceſsitate duratis, libertatem velut vitam impertiuiſti. Hos equidem iam Magnæ Matris, chariſsimæ inquam Patriæ; oſſa veriùs poſt hac appellauero, quibus extremos ſuarum ditionum limites fulciet, poſtquam à Tua manu humanitatis pleniſſima retrò ad obſequia ceciderunt. Quidnam tandem ergo tam magnificis Regni incrementis illuſtriùs? quid Tuæ Victoriç liberalitate amplius? quid ætatibus, quæ ad Te celebrandum ſuccedent, acceptius cogitari poteſt? Securus eſto, Rex Potentiſſime, muneris noſtri & deuotæ pietatis. Aeterna crede fore hæc Tuæ Virtutis veſtigia, circa quæ tot vndique ad fidem Vrbes ſurrexere, Nihil in illa Fortunę aut tempori licebit, quę poſteri renouabunt in ære, columnis incident, coloribus perpetuò excitabunt: implebuntque Tuorum factorum imaginibus terras, quas non Ciuibus modò ad habitandum, ſed Tibi quoque ad immortalitatem ſuperſtitis memoriæ dilataſti. Quod ſemel in lucem dediſti, procedentibus annis, docta rurſus oſtendet imitatio in auro, & rei argumento pretium augebit. Videbuntur in anguſto tabularum ſpatio creſcere ſub manu Tua Prouinciæ, termini veteres emergere, templa naſci, effluere maria. Quid? Ampliſſimus Regni totius ambitus, ſceptro Tuo quaſi nouus incumbet. Cùm enim tantorum hoſtium vires inhibuiſti, ne in intimum Gentis vtriuſque ſinum cladem inferrent, & ſuæ indulgentes vbertati armis lacerarent, quid niſi ſeruando reſtituiſſe dicendus es? Cùm inſolentes finium excubitores, cæteramque robuſtam vilium animarum turbam, cui licentia iam arma libertatemque porrexerat, oppreſsiſti, an non ab interitu reuocaſti?

Is

Is hoc victoriæ genus æſtimet, cui perſpectum eſt multum periculi imminere corpori, cùm pars ægra contagium accipit, & ſenſim per membra languorem morbumque diſpenſat. Immodicos ſui facit, quoties ſeruilia corpora animus veſanus inuadit habitator:neque ſemper ad flagrorum oſtentationem ponunt arma, qui peſſimo facinori ſuam calamitatem prębuere. Spartacus certè de gladiatore Imperator, poſtquam ab ergaſtulis exiguæ ſortis viros ſuæ audaciæ adiunxit, crebris elatus victorijs, de Romanis iam faſcibus inuadendis deliberabat: & hoc tandem effecit, vt dignam viro mortem in acie obiret. At Tu ne eam gloriam infamibus relinqueres, in Regni totius oculis, dedecoris publici Duces, legibus iuſtitię, non belli honore vindicaſti: egregio ſanè documento, ſaluberrimum eſſe tollendæ ſeditionis compendium, Auctores puniuiſſe. Optima hæc eſt conſilij Tui ratio, quòd breuibus mitibuſque ſupplicijs magnos auſus frangas, magnis autem præmijs parua militum opera excites,aut ingentia compenſes. Prodeſt vitam per pericula inter infeſtas hoſtiũ acies circumferre, quam & oculi Principis obſeruant, & merces ſequitur. His largos opum prouentus, his dignitates, his amicitiam offers: In hos nuper ampliſſima magnarum Vrbium dona liberaliſsimè depoſuiſti, non ignarus fortia Heroum pectora, theſauros Regum eſſe. Hac igitur diuerſa bonorum malorumque ęſtimatione fit,vt egregij excelſique viri manu Tuas cogitationes promoueant; & improbi ferocitatem in diſſidia non diſſoluant. Inde eſt Pax iſta, quam anhela cędibus Patria tamdiu proſpectabat: neque tot ſucceſsibus vltra vota licuit progredi. Iactabamur velut æſtu bellis; quæ dum compoſita arbitraremur, maiore refluebant impetu. Si quando feriæ Martis interueniſſent, Pacis nomen pro quiete ſubſtituebamus. adeò certaminum fata nos ſibi deuinxerant, vt in mitioribus vocabulis erraremus.

Digitized by Google

mus. Deus Te ſeruet, Rex Inuictiſſime, cuius beneficio iam nomen legitimum Pacis, non intelligimus tantùm, ſed etiam ſentimus. Eò Tui labores bellici ſpectabant, vt aliquando optatiſſima terrarum amænitas conualeſceret, & ſub lauris victricibus dulcem ſuam vmbram, Tua ſerenitate circumſtante, admiraretur. Tu es ille Orbis Pacator vnicus, qui poſt longi temporis decurſum repertus es, vt Iani delubrum clauderes: cuius ambigua frons incerti euentus pollicitatione non in ſpem metumque diſtinguebat. Non expedit iam ob dubias alieni vultus rugas fluctuare, cùm Tua

------------------ *iuuat ora tueri,*

Mixta notis belli, placidamq. gerentia Pacem!

admirabili ſanè temperamento, quòd eadem frontis maieſtate & terrorem hoſtibus, & ſecuritatem nobis ſpondeas. Ad hanc gloriam vt venires, quod quidem attonitus Orbis meritò ſtupeat, exiguum ſanguinis vadum tranſmiſiſti. Id ne Auguſto quidem conceſſum eſt, qui ad nomen tantum Oceano infecto nauigauit, & parem propè paci eluuionem cruoris præmiſit. Nobis ergo Te Principem Superi dederunt feliciſſimum, qui oſtenſo mucrone celeriùs in liberum Reipublicæ gremium Pacem euocaſti, quam ille vibrato vix tandem in ſuas partes compulit. Scilicet dicendus eras Auguſtus alter, ſed veriùs, quòd non minueres armis orbem, ſed clementia augeres. Te ipſum huius rei teſtem habeo, qui, deterſo puluere bellico, per Regiones afflictas præſentiam Tuam circumuehens, ſpectaſti, quanta agmina ſeſe poſtliminiò deſertis inferrent penatibus, reſumerent in ſuo viuendi ſtudium, ędes implerent, quas ob Tui abſentiam deteſtabantur. Arat ſuum agellum iam colonus, & vbertatem ex Tuis veſtigijs interpretatur. Tutas vndique vias peregrini agunt, nec ad vlla pericula reſpiciunt. Sonant legibus Tribunalia, liberalium opera diſciplinarum inſtauratur, & aureę ętatis

quędam

quędam imitatio omnia occupauit. Tutò nauigantur maria, neque piraticam ampliùs nautę cogitãt tempeſtatem, quamdiu ſuę quietis obſidem Te habent: ſed neque metum in ventura ſeruant tempora poſteris, Tuę fortitudinis certi, quam in portubus, velut alcyonem, ad perpetuum ſecuritatis progreſſum reliquiſti. ò diem illum lętiſsimum, quo ereptas, aut ſeruatas Vrbes pace iam inducta circuibas! ò auſpicato exortam horam, quę ſubditis Tuam pręſentiam obiecit! Illa omnem veteris calamitatis memoriam deterſit, impunitate ad pœnitentiam reduxit, & in remedium opum bello exhauſtarum indulgentiam reliquit. illa ęquitatis ſtudium induxit, oppreſſos moderatione penſionum leuauit. illa tractauit vulnera diffidentis à Magiſtratu plebis, prouidit medelam, fomenta diſpenſauit. Audiuimus quoque cùm de tot benignitatis vijs in pietatis curam progreſſus, templa Diuis redderes, repeteres ad ſectas deuoluta, & ad reuocandam verę Religionis acceſsionem, voluntatis Tuę legem relinqueres. Benè Tuis rebus ominamur, Rex Inuictiſsime, quando cauſam boni publici cum Deo communem feciſti: laboraſq. adhuc, vt Victorias tuas cœleſti partas eſſe auxilio, palàm copioſiùs teſteris. Quidni igitur tam Pium, Felicemq. Triumphatorem ſincera videndi cupiditas vbique præſtolaretur, gratulatio frequens exciperet, deſideria, quę nondum aſpectu ſatiabantur, oculis ſequerentur? Cur te omnis ętas non ambiret Liberatorem, qui nouam iterum benemerendi quæris materiam, & quò profis ſemper inuenis. Peruenit etiam ad nos huius Tuæ humanitatis dignatio, cùm in primaria Lithuaniæ Vrbe ſedem tui aduentus fixiſti, vt felicitati conſtanter immoraremur. Vt hic opportuniùs ſubſiſteres, eximio aëris deducebaris fauore, qui Te Sereniſsimum vbique monſtrabat: ibi demum ſeſe nubibus ſoluentibus, vbi itineris labori quies interueniebat. Cùm vices rerum ita Natura

Digitized by Google

temperaret, quid niſi his officijs ſe reſtitutam eſſe per Te aſſeruit? an potiùs Tuæ liberalitati voluit colludere, & quanta lætandi copia animis noſtris contingeret, rerum argumentis oſtendere? Hilaritas proinde iam ſe ſe per latiſsimas Lithuaniæ, Ruſſiæq. terras diffudit, frequentiſſimus vbique plauſus obuijs ſeſe explicat, claris Vota per vicos incedunt, reſponſantq. vocibus: & nemo ſilentium tantis gaudijs interponit, niſi quem dicendi laſſitudo tranſmittit, vt Te admiratione colat. In tam publica omnium comprecatione hanc etiam, quamuis rebus Tuis geſtis imparem, admitte vocem, Rex Inuictiſsime, & patere, vt hic quoque

POTENTISSIMVS VICTOR, TERRARVMQ. PACATOR

legaris.

TRIVM-

TRIVMPHVS
QVEM
DIVO CASIMIRO
PRINCIPI
Sereniſsimus ac Inuictiſsimus

VLADISLAVS IV.
POLONIAE ET SVECIAE
REX

Magnifica ac pia

in auguſtum Paternæ liberalitatis
Mauſoleum deductione

Anno M. DC. XXXVI. Auguſti 14.
VILNAE exhibuit

PANEGYRICO
repræſentatus.

Digitized by Google

Digitized by Google

PANEGYRICVS.

CREDO ego nullius deſiderij tantas fuiſſe anguſtias, vt vnica lætiſſimi illius diei præſentia expleri potuerit, quo Polona, ac Lituana Maieſtas in ſacrum D. CASIMIRI Triumphum conſpirauit: illa enim ipſa auguſta Pompæ magnitudo, dum attonitos diu præteruehere-tur oculos, per parteſque iret, ita diſtrahebat cogitationem, vt neque in primo apparatu hærere, illecta ſequentis pulchritudine; neque in ſequenti, primis ſpectandi illecebris reuocata, poſſet conſiſtere. ita fiebat, vt diſperſus in ſingula, nullibi integer eſſet animus, multaq. amitteret gaudio & admiratione. Quàm enim capax illud pectus fuiſſet, quod de aſpectu inſtabili totam amplecteretur lætitiam, aut ex ingenti operum exhibitione vniuerſam oculis colligeret hilaritatem? Quis potiùs ex varietate dubitationem, animiq. ſibi minimè fidentis diſcordiam non concepit, ſeq. ipſum non rogauit,

Digitized by Google

num quæ ſciret de ſpectaculi gloria, ab obtutu vigiliaq. haberet? ingens enim morandi in ſingulis cupiditas propè auribus inſomnijſq. tranſcripſerat; quidquid intuitus docuit. Quod auaris euenire ſolet, vt ſecuritatem repoſitarum opum ſæpius viſu attrectent, oculorum fidem frequenti manu explorent, iteratoq. recurſu etiam in ſinu abſentiam timeant: Id familiare illis erat, quos immodica lætitia occupauit. Dum reficere ſatis fęlicitate non poſſent auidam intuendi voluntatem, celeriq. receſſu caſtigatam dolerent expectationem, in ambiguo ſe velut poſt ſomnum deprehendebant. Quia enim curioſam diligentiam diuturnior exultationis mora non impleuit, & mutua ſpectantium facundia diſſerendo non æquauit ſciendi deſiderium, oblectationi voluptas defuiſſe putabatur: Non erat certè res modici temporis, in longiſſima fori area ſupplicem Regni totius virtutem ſuſpicere, Romaniſq. æquare aut præferre triumphis obſequij impenſi decus. Quis dies finiuiſſet VLADISLAI Regis admirationem, qui in illa pompæ gloria, quam DIVO Cognato piè præſtitit, omnibus ſuis victorijs conſpicuus inceſsiſſe videbatur? Quis annus ſuffeciſſet D. CASIMIRI Principis laudibus æſtimandis, aut recolendis? Nemo igitur, dum denſa effuſi populi obſidione premeretur, ſtipatoſue proſequentium globos eluctaretur humeris, aut laborante in tectis veſtigio penderet, ab inſigni tot argumentorum ſtupore laſſus receſsit. Hæſit adhuc in pectore abeuntium primus vigor, ipſa præclari officij tractatione factus cumulatior, cæpitquè ad eruditum reſpectare ſtylum, qui Regiæ deuotionis laborem per animos oratione circumduceret, & pulcherrimum imagine æmularetur Triumphum. Quotuſquiſque non inuocauit publicam vocem, quæ ad ſingula laudum theatra conſiſteret, duraturaq. dictione D. CASIMIRVM ita exhiberet, vt vniuerſæ gloriæ vndique collectæ maieſtas animis contemplantium pateret? Equidem iuſtiſsimam

Digitized by Google

æſtimaui fuiſſe poſtulationem: ſed cùm neque accuratam vires meæ pollicerentur diuinarum Virtutum effigiem, neque tot nobiliſsimorum hominum votis à me fieri poſſe ſatis viderem, propè in commune optantium numerum conceſſi, niſi voluntatem alienam in modum legis communis religio oſtendiſſet. Aderat interea & altior vis, quæ in hoc cogitationum æſtu ancipitem timentis audentiſq. temeritatem promiſsione virium correxit. Tunc ſtatim primam deterioris ſucceſſus formidinem diuino hoc impetu regere cæpi, & honorem verborum ad tantum ſacrificium à pietate ſperare. Tunc ſe ſe agmine ingenti commendabant præclariſsimæ rerum ſpecies, remotæq. ętates recenti imagine obludebant, & exigere videbantur, vt ne ea quidem negligerem, quæ Maiorum Virtus poſteris laboraſſet.

Admiſi itaque opportuna feſtinatione ad D. CASIMIRI laudationem Proſperum Cæſarinum COLVMNAM, qui per altiſsimos Romanarum dignitatum titulos, ſanguinem ad ſe deriuatum noſtrarum partium ſecuritate ſeruauit. Quanta ex eo in D. CASIMIRI originem deriuari poſſent, ſi veterum amor eadem libris credidiſſet, quæ animis inſcribebat? At enim, dum ætas illa ſtyli peritè tractandi rudis memoriæ fideret, ſenſim inſidijs obliuionis patuit. Vt omnia ex prudentia & imitatione Maiorum agerent, res præclarè geſtas memorabant: annorum interea ſeriem, & quidquid plena petit hiſtorię notitia, intentus in bella animus depoſuit. Credebant ſæculorum curſu perire non poſſe, quidquid Columnis Virtus incidiſſet. Habeant ergo gratiam errori temporum Attyla, Nero, Iulius Cęſar, quorum Tyrannidem gloria Proſperi Cæſarini reddidit fælicem. Dum enim ambigimus, cuius inſolentia tanto Principi induſtriam vitæ in tuto ponendæ ſuaſerit, noſtro bono iniuriam probamus. Vitari certè debuit furor Attylæ, qui ſe terrifico nomine Flagellum dici voluit, nè infami manu ingenuum cor-

Digitized by Google

pus violaret. Neronis quoque peſtilenti conſpectu abire ad libertatem pertinebat, quòd tunc in illo Orbis monſtro fortuna Regem cum Regulo confudiſſet, vt neminem ſine veneni periculo aſpiceret, quem ad ſalutem Patriæ putaret viuere. Plures tamen in Pompeij cladem referunt diſceſſum. Illi Imperatori ductor militum erat contra publicum hoſtem, penèq. Romanum obiuerat imperium bello & victorijs: ſed cùm aliquando extrema calamitas afflixiſſet ſucceſſum, Patriam, pro qua diu multumq. dimicarat, iam non ſuam, nec eandem deſeruit. Non putauit liberalis eſſe ingenij imitari Ciceronem, qui eloquentiam ante pedes Victoris exarmauit: aut Brutum, Caſſiumue, quorum generoſus animus ad libertatem repetendam ſub adulatione diu ſeruiuit. Turpe enim erat aperto pectori mendacium amicitię alere ad iraſcendi opportunitatem. Cur & illum ſequeretur, qui Philoſophico vitæ contemptu, auſus in ſe facinus hoſtile, magis Porcius fuiſſe apparuit, dum in cruore ſuo volutaretur, quàm Cato, dum ferro ſponte incumberet? Ab hac pauida audacia reuocauit mentem imperterritam prudens cogitatio, Cęſarinum ſtare non poſſe, qui tam abiectè Cęſarianus iacere vellet. Duas igitur res digniſsimas perfecit, cùm & ſanguinem ad poſterorum gloriam in ſuperſtite corpore conſeruauit, & alibi liberam ſibi erexit Patriam. Nauigantem Dubiſſa fluuius camporum amęnitate inuitauit ad iura hoſpitij, & poſtea retinuit. Inciderat in gentem comem ac manſuetam, quę virtutem adorare ſciebat, & nomen Italiæ, quod Romana diſſidia propè expulerant, poterat ſuſcipere. Eandem ſuæ potentię ſedem diu retinuerunt poſteri, & velut circa matrem hęrebant, donec Vitenes in Lituaniam protulit Imperium. Ab eo per Gediminum Olgerdumq. Heroes Duceſq. fortiſsimos ad Iagellonem gloria peruenit: qui ipſe quidem in Regnum Polonum primus aſſurrexit; ſtirpem deinde ſuam inter Coronas Sarmaticas, Vngaricas, Bohemicas circum-

circumtulit, & ſummorum Imperatorum Regumq. ſolia affinitate colligauit. Quòd ſi ea fælicitas Proſpero Columnę contigiſſet, quam Aeneæ Sibylla exhibuit, vt longam Nepotum ſeriem pręuideret; quanta gaudia pectus illud omnis ſpei plenum inundauiſſent? quanta ſeges lętitię ſe obtuliſſet cogitationem in venientia ſęcula proijcienti. Occurriſſent nouem ex Nepotibus nati Reges, plures ex Neptibus, durante adhuc ſalutari ad hęreditatem ſuffragiaq. Regnorum fęcunditate. Vidiſſet Ducum purpuras, faſces omnium dignitatum, ſacros honores, fortunam denique in ſua domo conſediſſe fuiſſet admiratus, vt potiſsima Reip. Chriſtianę ſtemmata ſanguinis ſui commercio coniungeret, Orbemq. terrarum fęlicitate impleret. Erexiſſent faciem puluere ſordidam prouincię fortunatis ſubiugatę pręlijs, lętis victorię clamoribus aſſonuiſſent, longis graues ſpolijs Triumphi aſſurrexiſſent. Quàm attonito vultu ſteriſſet ad Caſimiri Regis Polonię, & Eliſabethę Auſtriacę fęlix connubium, coaleſcentem in vnum fędus geminorum decorum amplitudinem, implexam Cęſarum ſtirpi Iagelloniam gloriam, natali D. CASIMIRI die fęcundam ſanctitatem!

Sed cętera fida rerum cuſtos poſteritas mirabitur, & ex grata conſcientię fide recitabit: mihi iam, quoniam deliberato per longinqua errore in portum incidi, auguſtus D. CASIMIRI ſplendor oculos pręſtringit, omnemq. circùm allucentem ab vltima repetita Familię origine claritatem oſtendit, vt ex tantis nominibus ipſum magnopere, tanta tamen terrarum pignora magis ex ipſo ęſtimem. Fuiſſet enim hęc magni generis iactura maximis altior damnis, niſi hunc pulcherrimę laudis gradum ex publica ſanctitate ad ſuum faſtigium haberet. Longis Principum ſucceſſionibus metimur nobilitatem, per ſtabiles rerum geſtarum excurſus, peruenimus ad nominis opinionem, incrementa ducimus ex ſemel inceptorum ſucceſſuum conſtantia: at virtutum maturi-

turitatem ex cęleſti honori colligere licet: quęm quiſquis domi ſuę habet, altiſsimo famę impetu terras euaſit. Quid enim ea commendatione ſublimius cogitari poteſt, quę infra magnitudinem ſuam habet id omne, quod in Regnorum laudibus ſupremum eſt? Progrediatur ſanè admiratio in ſolia ac coronas, nondum ad ſacram verę nobilitatis arcem accesſit. Laboret eloquentia in geſtorum ingentium celebritate: altitudinis apicem non tranſcendit. Pendeant ingenia erudito ſtudio ad numeroſam imperiorum poſſeſsionem: non plus fulgoris colligent, quam terrarum lux patietur: adeò ſcilicet Imperatricis huius Familię magnitudo omnem celſitudinem pro limine habet, vt niſi cœlum conſcendatur, ad humanarum laudum metas omnis iacet laudatio. Egregiè igitur gloriam illuſtri ſerie ad ſe deriuatam penſauit auxitq. D. CASIMIRVS, quando Virtutum ſuarum conditione, in Iagellonia domo Orbem terrarum in genibus poſuit ad venerationem. Non illa proinde opus habet origines ſuas Deorum ſanguini inuoluere, & à fabulis (quod antiquitas fecit) diuinas rapere cognationes: plùs eſt publicę conſecrationis plauſu domeſticam cęlis miſiſſe ad decus ornatumq. dignitatem. Meritò itaque in Faſtis Iagellonicę fęlicitatis dies ille clariùs copioſiùſq. lucet, qui tam pręclari ſideris exortu omnem vetuſtę ſtirpis ordinem illuſtrauit, cęleſtibuſquè miſcuit ſplendoribus. Certè oraculi inſtar publica fides accepit, eum, qui in naſcentis tempus incidit, lætitiæ conſenſum & beatam ex paternis ſucceſſibus feſtiuitatem: quaſi iam tunc vniuerſa rerum Natura communi prouinciarum hilaritate arrideret, ſuumq. bonum interpretari videretur. Cum enim ad ortum illius ingenti ſtrage debellati Pruſſi ceciderunt, & arx Papouia viribus Polonis ceſſit, quid aliud fortuna voluit, quàm vt lætis victorijs natum ſalutaret, venientiq. frontes etiam hoſtium ac muros inclinaret? Quid & legatio Georgij Podebradij Bohemorum Regis

aliud

aliud effecit, cùm Regni Bohemici inſignia Patri offerret, efflagitaretq. amicitiam; niſi vt proſperrimam lucem vnanimi Regnorum in plauſum conſpiratione conſecraret? Quod ſi Infanti ſupremum illum rerum moderatorem DEVM indulſiſſe dixero, vt hæc ſecum afferret auſpicia, erigeretque ſtatim Patri trophæa, nemo me iure damnauerit. Nam quemadmodum inuſitatum non eſt, naturam florentibus placidiſq. euentibus origini alludere: ita venturæ laudis imaginem à quopiam importari in terras, nouum cenſeri non debet. Iactent ſanè nobiles Thebę primam alumni ſui Herculis induſtriam, cùm infantili manu ferociam ſerpentum in cunis præfocauit. D. CASIMIRI naſcentis fælicitas victoriam Reip. laborauit. Loquatur Seleucum anchora, quam innato artificio inſculptam coxæ habuit. nos Bohemicam coronam ſceptrumquè in ortu D. CASIMIRI conſpeximus. Non inuidemus *Zoroaſtri* riſum, quem natus vſitatis humano generi lacrymis ſubſtituit. plùs eſt Poloniam, pulcherrimis inuitatam operibus, in hanc lucem prodeunti D. CASIMIRO, hilari vultu auguſtaquè fronte accurriſſe, quòd noua fæcunditate ſuperbior, cæteris prouincijs primo ſinu Principem natum præripuiſſet. Pulchrum enimvero accepit hoſpitium Cracouiam, Vrbium Matrem, Arcem literarum, Regum ſedem, vt ſciremus iam tum loci ſuffragium in auſpicijs fuiſſe. Qui tantus erat futurus, debuit ſtatim in eminentiſsima Regni ſede conſpici, inter diademata apparere, eruditis Muſarum manibus tractari. Tali ille tantoq. apparatu exceptus eſt, vt ad perennitatis curſum ſtatim in ipſo ingreſſu optimè inſtructus eſſet: ſed erectus ad maiora animus, quamprimum habile ad humanas rationes ſequendas nactus eſt corpus, ſuo cæpit gloriam calculo computare, & cenſu Naturæ Fortunæq. diues in curam potioris boni incubuit. Quid me igitur neceſſe eſt illis cõmemorandis inſiſtere? cur in Stirpe, Parentibus, Patriaq. alienis ad laudem præſidijs,

ſidijs, diutiùs hæream, & oblatum vltro ſummæ proſperitatis verticem contumaci itinere premam, cùm amæniora ali plura ſe offerant cacumina, quibus attolli pulchriùs liceat? Magnum quidem eſt æquabilem ſæculorum in honoribus currentium tenorem excipere. ſed maius non degeneri conatu moras annorum prægredi. Illuſtre virtutes in ceris ferre: illuſtrius vitam omni honeſta actionum ſocietate ita pertexere, vt ſub nobilibus figuris natalitia claritas, velut tela, lateat, emineatq. decentiùs: Eximium eſt in ipſo Regiæ magnitudinis domicilio naſci beatum, & fortunatæ lenocinia ſortis hæreditate capere: plus eſt delicatis his obſequijs, quibus pleriquè vitia audaciùs colligunt, ad egregia opera venire. Prȩſtat itaque in integro rem hanc ponere & quantus aureo Regalis proſapiæ pelago, quod tot infeſtas Sirenes continet, occultat ſcopulos, variatur procellis, ventorum tumultu agitatur, ad virtutem venerit, contemplari.

Et ſi quidem rem hanc Orbis totius ſuffragio definire placeret, communis omnium eſſet opinio, plurimùm in ijs valere ſummam fælicitatem ad ſanctitatis profectum, quos opes faſtu non inflant, potentia amplitudine non labefactat, honor maieſtate non corrumpit, deliciæ non emolliunt blandimentis. Producit enim haſce omnis Regiæ ſtirpis Aula illecebras, quæ altiores obtutus à Numinis, virtutiſq. conſpectu auertere facilè poſſunt, vt proinde affine quiddam habere cum Babylonico cælo videatur. Locus is erat ſubtili ex ſapphiris constructus fabrica, & ex cæleſti colore, diuinaq. præſentia nomen tantum inuenerat. Spectabant enim ex fornicata teſtudine, velut ex æthere aurea Deorum ſimulachra, tanta operæ fabrilis induſtria efformata, vt materia arcanas tremendæ poteſtatis notas exprimeret. Metallum contumax ceſſerat artificio, vt Regem in medio conſidentem ad virtutum cultum religionemq. inuitaret. Nam quoties oculos in ſublime attollebat, effigies omnis venerationem metumque in-

Digitized by Google

inſtillabat. Quippe ſpirantia labor Numina finxerat, vt Iupiter auri fulgore ardens fulmen iaculàretur, collinearet ſpectatam Apollo ſagittam, Neptunus tempeſtates concitaret, Minerua terribile ferali capite ſcutum obijceret, tam viuaci omnia argumento, vt ex aſpectu formido propè manum transmitteret ad quærendum telum in pectore; vertigo contra turbinem fulcrum quæreret; rigor per corpus diffuſus ab obiecto Gorgonis portento lapideſcere timeret. Cæteri Dij ſuis quiſque affectibus inſignibuſq. cernebantur. illi ad maieſtatis opinionem formoſi, hi ad lętitię ſenſum hilares, alij in clementiæ teſtimonium erecti, pleriſq. vultus furore armatus, frons ſeueritate rugoſa, oculi ad ſcrutandum pertinaces, manus in ictum compoſitæ, os in minas conformatum. Varietas ſingulorum tanta tamq. efficax, vt animus, omnibus admiſſis permonitionibus, affectus in ſe confunderet; triſtitia hilareſceret, gaudio mæreret, metueret ſpe, timore erigeretur. Omnis hæc rerum diuerſitas, dum in varia diſtraheret, colligebat animum ad reuerentiam & curam pietatis: ſed quominus ſe mēs huic ſpectaculo totam daret, quatuor torquillę aureę pendebant: quarum auium vis permagna eſt in veneficijs, philtriſq. ſeruire creditur. Prudens enimvero opificium, & ad oſtenſionem periculorum, quibus inſtitutio Principum facilè à ſtudio virtutum abripi poteſt, excogitatum. Circumuolant enim identidem Opulentia & Poteſtas animum, perſpicacemq. illius pupillam, Mentem, delicatis, integunt alis, nè obtutu ad cęleſtia euadere poſſit. Laborant Dignitas & Voluptas admirabili varioq. circuitu, cogitationes à Numinis contemplatione auocare. Tanta eſt vis in ſingulis, vt blanditijs incantare, ac veluti quodam faſcino inſitam bonitatem poſſint intercipere. Quiſquis has amęnas Virtutis moras alacri obſtinatione ſuperaret, & ad curam animiq. auxilium deflecteret an non is ex communi gentium comitio magnus ſanctuſq. inter homines

iret?

iret? Si eodem ordine cuncta perſequar, iam profectò conſtabit publicam D. CASIMIRO meritò contigiſſe gloriam ſanctitatis.

Nam primùm non deerat illi ditiſsimus Poloniæ, Patriſque Regis Pactolus; ex quo aureos riuos in ſplendorem ſuę dignitatis, aut licentiæ oſtentationem deriuare potuiſſet. Scimus quantum excellens conditio exigat, aut iuuenilis aetas ſibi arroget. Illa magnificis impendijs conquirit authoritatem, pretioſo theſaurorum damno famam lucratur, liberali erogatione potentiam conſeruat, denique in admiratione ac obſequijs tantò retinet magis, quantò altiùs in fundum arcae manus veniunt: haec ipſam quoque neceſsitatem ſaepe in ambitionem exitiumq. virtutis expendit. Ea de cauſa magis miramur Regiam Diui CASIMIRI indolem in tam praecipiti annorum flexu, & praepotenti fortuna, nec nobiliſsimo ſuo ſtatui dediſſe caeterorum Principũ conſuetudinem, nec lubrica aetatis parte in inſidias feruidioris Naturae cecidiſſe. Non enim ille inſano luxu corpus operiebat, non lapideis flammis accendebat tunicam; non tenero figurarum textu, ludentiſue artis commento emolliebat ſericum. Satis potuit noſci principis honor ex generoſo contemptu, nec indigebat ſolenni colore maieſtas; quam demiſſio à caeteris diſcernebat. Latère in vulgo non potuit, quòd eum ornamentorum neglectus eò pulchriùs comeret, quò plura deerant. Cur enim in nimio membrorum cultu laboraret is, qui ſciebat omnem veſtium apparatum pretioſam eſſe neceſsitatem? Cur ſinceritatem naturæ luxu contaminaret, diſſimilemq. animo effigiem circumferret? Hac autem prudenti viuendi deſtinatione prouidit modeſtiae ſuae ſecuritatem, quam ſaepe ex ornatu amaeniore arrogantia inuadit, & malè intra grauitatem tuetur. Conformat ſe facilè mens amictui, & ex colore affectum rapit, vt ſub purpura minores erubeſcat, in argẽto ad obſcurioris ſortis aſpe-

ctum

Digitized by Google

Auri palleat, ex auro ſæuitiam terroremq. loquatur. Neque verò hæc à me dicuntur in eos, quibus fortuna illecebras naturæ conceſsit ad honoris reuerentiam. Quidam enim ad illuſtrem veſtium ſplendorem publico officio dignitateq. eunt, eos nemo meritò arguat. Pleroſq. faſtus ad immodicos ſumptus ducit, quod quis probet? Vtrumque D. CASIMIRVS eo ſpectauit temperamento, vt magnitudinem excelſi nominis ſub moderatione retineret, & obtentu honoris ad licentiam non progrederetur. Nihil erat in eo nimium: multa infra Regium modum. Nemo tamen quidquam deſiderare poterat, quòd raro exemplo ex priuato Principem indueret, & maieſtate, velut cælo relicta, inter oculos ciuium ipſa demiſſione amabilior verſaretur. Fiebat proinde, vt quoties ſe in conſpectum daret, nulli per apparatum ſuperbiæ, inſolentiæue tumultum eluctandum eſſet ad oris notitiam. Temperatus habitus tranſmittebat oculos facilè ad Virtutum choragium, ſine quo nunquam proceſsit. Et erat vtique, quod ſub modico cultu ſpectari poterat, pia grauitas, verecunda lætitia, comitas plena pudoris, pluresq. præclari animi dotes ſuis ſignis in vultum corporiſq. motus expoſitæ. Laborauerit ille ſanè induſtria moderatione ornatum mentis interiorem tegere, occultaq. pietatis artificia fronte ſuæ fortunæ obſcurare: tantum tamen in his latebris firmitatis non erat, quin ipſa compreſsione Virtus altiùs emicaret. Quis neſciuit ſub modeſtia purpuræ (ſæpe enim ex dignitate habitum ſumere fuit neceſſe) aſperitatem hirſutæ nodoſæque telæ, & textum villorum arctè corpori inſediſſe? Laudabilis profectò ſcena, & piæ ſimulationis receſſus. Potuit in theatro nobili principalis authoritas diſſimili imagine conſpici, in perſonæ amplitudine oſtentare ſpeciem amor vilitatis, ſplendor abſcondere membrorum moleſtiam. Talem veſtium diſcordiam hoc ille fœdere coniunxerat, vt quaſi præ veſtibulo cilicij ageret excubias Regalis indumenti moderatio, dolo-

doloriq. ſeruiret. Neque enim dubium fuit, potius illud fuiſſe, quod cordi adiacebat: hoc alienum dici poterat, quod quaſi eiectum & exul foris eſſet. Illud præterea Principis ſugebat ſanguinem ac ſudorem, gemina tincturæ optimæ pretia, quibus nulla maria conchylijs reſpondent. Quidni ergo laudem conſilium, quod diuitias in luxum, ſtudiumq. affectatæ pulchritudinis non prodegerit, ſatis de ſe opulentus? Quidquid corpori aliunde aduenit, ſpolium eſt, & alienæ formæ præda, ſuo fulgere magnificum eſt. Et graue quidem eſt hoc genus impenſarum, ad viriumq. debilitatem ac languorem ſæpe peruenit: ſed nobilior euadit purpura, quò maiore tolerantia clariſsimus ſuccus exprimitur. Alij liquores tantum habent æſtimationis, quantum raritas, aut humanæ artis ratio permittit; hic ex Domini cruciatu decus accipit, quem neceſſe eſt eſſe maximum, quoties à molli educatione ſuſcipitur. DIVO proinde CASIMIRO nihil accidere poterat, quod non magnopere profuiſſet ad patientiam. Siue enim viliora elegit in vſum, duritie lædebant teneritudinem; ſiue delicatiora, mollitie vulnerabant animum in aſpera propendentem. Aeſtimet hinc quiſque pij Principis ingenium, qui oblectationes voluit eſſe ſuppliciorum inſtrumenta; nec alias ex ijs conquiſiuit delicias, quàm dolorum. Miretur & pietatem, qua omnem opum affluentiam propè cum abſentia compoſuit, quando ſeſe ad experientiam egeſtatis damnauit. Quem enim non tangit pedum nuditas; qua ſtatis temporibus ædes ſacras adibat? Quo ille tuliſſet animo venientem à caſu, aut origine inopiam, qui extremam ſortem ſibi in palatio fecit. Qua mente erat erga diuitias, quarum vſum à contubernio dignitatis relegauit, pia auſus dignari inuidia in calamitoſis paupertatem? Nihil illum commouebat inferiorum exquiſita in ornando ſolicitudo, nihil quęſitus elegantię tumor. Cùm alij flaui inceſſus ſerenitate auram accenderent, intra ſerici auro fluentis vincula vibrarent

rent greſſus, argenteis clauis ſubſtrata marmora excitarent in plauſum: ille vacuo ſimpliciq. pede ad aras viam inibat. Cùm ita iniurijs amoreq. inopiæ inter opes diteſceret, admiſit præterea in triclinium famem & ſitim; &, quia interdum neceſſe erat ſanitati conſulere, mediocritatem. Rari profectò hi ſunt facultatum amplarum hoſpites in palatijs, ſed mirabiliores, quoties inueniuntur, quàm in caſis. Multùm enim intereſt, num ſponte quis, an neceſſitate toleret? Plurimis licet eſſe famelicis, cùm interim cupiditate ſint ſaturi: at inter irritamenta gulę, animo adimere ciborum licentiam, quantarum eſt virium? Arcana fabularum veritas, cùm Tantali pœnas loquitur, autumnum pomis inſtructum circum os ſuſpendit, tam attentis ad fugam frondibus, vt præter vmbram cedentium fructuum nihil manibus aſſequatur, aut dentibus alliget: addit & fontes labijs alludentes, ita mira viciſsitudine quietos rapidoſq. vt morentur ſub mento ad fallendum, ſterili mox vado deficiant, quamprimum in hauſtum palmas compreſſerit. Ille tamen perpetua deluſus laboris ſui ſterilitate, in prædam ſemper eſt intentus, & irritas manus in ſpem continuam exercet. Tanta ſcilicet vis eſt prę ſentiæ, vt famem extimulet, & ne ipſa quidem deſperatione totam extinguere poſsit expectationem. Magnum igitur erat in D. Principe voluntatis ſupplicium, dum copioſo inuitante ad palati obſequium lenocinio, ſibi ipſe indixit continentiam. Nihil ille in omni ferculorum varietate ſibi diſſimile admiſit: nihil ex diuite delicatoque epulo præter victoriam ſui delibauit. Quoties extendiſſet manum, eo id faciebat animo, vt cupiditati negaret, & ſe torqueret non admiſſę voluptatis vſu.

Non minor dimicatio facienda fuit cum opibus, quę prodigalitate petebant effundi. At ille, cùm noſſet immodicis impenſis ſępe nòn dignitatem defendi, ſed vitia nutriri, viresque corporis ad conſuetudinem licentię creſcere, reperit

P homi-

homines penuria preſſos, quibus diues lautuſq. eſſet. Hos copioſa recipere manu, veſte inſtruere, prouidis leuare ſubſidijs, adeoq. ſuis pręponere ſolebat commodis, vt laborare videretur, qua ratione ipſe in Regia omnium rerum vbertate miſer eſſet, illis Principem ſe exhiberet. Pręſens erat implorantibus, nec aliter ſe negare poterat votis afflictorum, quàm perennes fontium venę ijs, qui humili inclinatione vndas hauriunt, quaſi priùs peterent: in hoc verò etiam ſuperior, quòd ſępe in ſinum depreſſorum, vna liberalitatis ſcaturigine, infuderit duraturum in omnem ętatem beneficium, vnicoq. hauſtu vitę totius ſitim reſtinxerit. Audiuimus quidem fontes quoſdam auro fluere: at obicem accedentibus auaritia oppoſuit. alios miris ſcatere aquis: ſed ad ſtrepitum pedum velut exterritas fugere. pleroſq. medicis bullire fluctibus: verum pretio aditum emi, nec omnibus exſugendis morbis ſufficere. Hic verò, quàm pręſenti manauit ope! Neminem palatij reuerentia, pertinaces cuſtodum excubię, armatum Satellitium ſubmouebat. Habere ab eo licebat aurum contra egeſtatem, in patrocinium vocem, manum in lapſu. Fiebat proinde vt egenorum examina obſiderent euntem, viduæ non aliter, quàm Aegyptus ſuum amnem inuocarent, pullata reorum turba circumſtaret. Pulcherrimus enimvero comitatus & ſua indigentia purpuris omnibus formoſior, aut potiùs ad expugnandum cælum collectus exercitus, cui miſericordia Imperatorem præficit, vt det ſtipendium, quaſi egeſtate militaret, vinceretq.

Hæc iuſtæ laudationis occaſio facit, vt quoniam de diuitiarum vſu multa attuli, Potentiæ ſaltem diſpenſationem parciùs in tanta dicendi copia prædicem. Nemini enim dubium eſt plurimum eum potuiſſe, qui Patris leges per ætatis pręrogatiuam exire noluit, vt vires in integro iuris paterni nomine conſeruaret. Subiectio, dum filium quaſi in corpore adhuc retinet, virium communionem non diuidit. Cæteris licet

manus

manus Regum meritis aut impetratione inuadere: Filij legibus & ſanguine ſatis ſunt inſtructi, vt ad obtinendum, quidquid æquitas docet, conſilium ab illis veniat, quaſi à Patris ratione, preces quaſi à Natura. Leue certè eſſet, & hominum conſuetudini diſſonum, vtriuſq. facultatem velut calculos, numero diſcernere. Communis enim illis opinio plùs penè tribuit, quàm Natura. Hæc, quos ſubiectione iuriſq. rigore coniunxit, diſſociauit corporibus: illa etiam corpora authoritate copulauit, & animæ vnius colligauit arbitrio. Licuit nonnemini varijs inſpectis Reip. muneribus, Regem formare inſtruereq. ex ſubditis: Præfectos in oculorum vicem transferre, aures appellare Iudices, Senatui cordis motum credere, militibus manuum, pedum agricolis dare officium. ſoli Filio conceſſum eſt Animum Spiritumq. Patris dici, quòd Patrem ex facili moueat, ſenſibuſq. & membris Reip. coniuncta facultate vtatur. Valebat igitur D. CASIMIRVS paterna plurimùm poteſtate, quam ille in ſanctæ cuſtodiam fidei, & nouæ ruinam religionis deriuauit. Tum enim demum ſe fortem pollentemq. viribus exiſtimauit futurum, ſi conſtanti lege incorruptam veritatem exitio diſsidentis ſectæ tueretur. Amamus igitur vocem Filij in priuilegio Patris: miramur pietatis ingenium in ſublimi patrocinio: ſuſpicimus fortitudinem qua totius Græci ſchiſmatis manus ita arctè ligauit conſtrinxitq. vt eas neque in nouorum ſtructuram templorum erigere, neque in veterum reſtaurationem commouere poſſet. Quid hoc edicto præclarius, quo ad fallacium in fide opinionum perniciem, ius dedit annis, elementa viceſq. temporum armauit? quo omnem diſcordis pietatis ſolertiam in otium languoremq. compoſuit, in obliuionem deinde abituram delubrorum occaſu? Ita enim citiùs animorum diſſidia ſuorum cineribus templorum ſepelirentur, iacerentq. quibus fulciendis liberalitas non occurreret, promouendis locum nõ inueniret conſpiratio, induſtria iuuandis adeſſe nõ poſſet. An

non hac prẹterea voce Naturam humanorum ſeruitute vitiorũ emancipauit, nè aduerſus DEVM faceret contumaciẹ prẹſidium ? Tunc vniuerſus rerum ordo ſibi redditus videbatur, cùm arbores in fulcra vetitarum ẹdiũ non creſcerent, in compagem ſectarum ſaxa non coaleſcerent, terra ad firmitatẽ tutelamq. ignorantiæ non ſolidaretur, nihil denique eſſet, quod ſpe aut vi ad pertinaciam erigendam valeret. Hæc fuit rerũ à DEO productarum reſtituta fælicitas, quòd punire poſſent, iuuare non cogerentur: quòd cõtra fulmineos ignes nihil auderet vllus humor, nihil aduerſus pluuioſa nubium ſupplicia tectorum circuitus, nihil contra infortunia ingeniũ. Ipſe quoque animus velut in carcerem cõpactus, ſuiſq. tacitis ſenſibus incluſus in otioſo corpore hẹrebat, quòd ei in publicum exire mẽbrorum miniſterio non liceret. Victa erat hac lege errandi licentia, poteratq. deceptæ pietatis damno venire ad primordia veritatis. Quia enim antea in herba ſemen malitiẹ ſerpentis oppreſſum non eſt, quid reſtabat, niſi vt vitioſẹ ſegetis maturitas ſenſim tabeſceret vetuſtate, & fatalẽ meſſem extrema clade faceret? Hoc ſpecimẽ & exẽplar erat in D. CASIMIRO verẹ in religionem propenſionis, lentis remedijs vires infeſtas affligere, & quaſi cõtagionem rubiginemq. immittere, vt mora ad ruinam celeriùs perduceret. Fuit id & exempli rari, ita actionũ curſum diſponere, vt etiam poſt fata continuaretur, & abſens legiſlator viuentis præſentia legis in abolendis fidei impedimentis laboraret. Detrahit operi conſtantiam, quiſquis vltra vitam, ſuum alienis manibus robur non relinquit. At qui poſteros ad perpetuam virtutis agitationem inſtruxit, egregiè prouidit poſthumam quieſcenti ſuo labori propagationem. Ita ergo ille voluit ex hac ſtatione decedere, vt tamen vox cohortatioq. ad religionis curam ſtabilibus repetita incrementis ſupereſſet, & ingenuis pectoribus alliſa, ex approbatione reſultuque ſe intenderet. Sciuerat eam demum vitam optimè in terris relinqui, quæ non aliter à nego-

negotijs amoueretur, quàm manus ab horologio. Vt enim illa abſente mobiles ſpiras indefeſſa machinarum vertigo ponderibus rotat,& malleolum indicemq. in motum animat, vt temporum momenta voce ſilentioq. loquatur: ita edicta continuatis mortem penſant negotijs, poſtquam ſubditorum animos ſemel ad perennem religionis progreſſum abduxerunt. Tales etiam, dum more cæterorum hominum ſub terram eunt, inoffenſo poteſtatis curſu viuunt, & legem in ſolio ad compenſationem præſentiæ habent.

Eò cùm perueni, præuertendum eſſe exiſtimaui ad honorem Regium, quem conueniens potentiæ vſus ſibi iure vendicat. Tantus enim iam erat D. CASIMIRVS vt ſub Patris tutela dignus imperio eſſet. Animos etiam omnium in deſiderium excitauerat, vt licèt pios optimi Regis mores fęlicitatemq. ſuo abeſſe regimine nollent, votis tamen in filium excurrerent, & æſtimatione coronarent. Atque ita ſub ſuperſtite fortuna & deſiderio Patris iudicium habuit ſupremæ dignitatis, & intra optatam paternæ præſentiæ gloriam Rex erat animorum. Eadem opinio vicinos populos occupauit. Nemo fuit, qui ex diuini animi notis, & minimè otioſæ indolis ſpecimine dignam ſummo apice vitam non pręciperet. Vngaria tamen cęteros pręiuit ſuffragio, & campum tantis virtutibus pręſternere auſa, occaſionem vacui ſolij in gloriam D. CASIMIRI rapuit. Ampliſsima eo nomine miſſa legatio oſtendit communem Senatus vocem, equeſtris ordinis vota, ſupplices populorum manus, quibus à Patre Filium, Principem à Rep. à CASIMIRO imperij curam petebant. Et verò allicere poterat eximia Regni pietas, religionis amor, militaris rigor diſciplinae, & praeparatus quidam ipſi ſuſcipiendo omnium virtutum concentus. Poterat expugnare præclarum imperandi inuitamentum, opulentia terrae, in quam impenſiùs excolendam meliori police incubuit rerum molitor DEVS, vt ſedem voluptatum

in ea diuitiarumq. collocaret. Nihil huic vnquam affinxit fabuloſa vetuſtas, nè incredibili argumento verum Naturae luxuriantis opus malè commendaret. Non hic Tagum aureis manantem arenulis, aut collucentibus procelloſum vnionibus Gangen poſuit, vt ſolidum tutioremq. auri prouentum in terris indicaret: non pretioſo vellere radiantem arietem Thebarum, aut ouis aureis faecundam Aeſopi alitem, nè per vanos interpretum ſenſus malè aurum attonderetur, exciperetur q. Alibi mendacijs inuolutae laudabantur facultates: hic veritas ſemper diuitijs praefuit. Aſſurrexit proinde aurifero Vngariae Imperio Europa vniuerſa, & ſeipſam contemplata variarum opum vbertate diuitem, poſtquam ſuas ſingulis prouincijs tribuit faelicitatis praerogatiuas, Vngariam, Pomum aureum, appellauit: ſed quod iam inter plures proiectum à Fortuna, luſu bellico diſpares manus diſcerpſerunt. Neque ſic tamen ſuam amiſit amaenitatem, cùm diuiſit gloriam: Vbique rubet adhuc, augente natiuam purpuram alieno in aeſtimationem fuſo ſanguine, & prima vulnera vnguesque impreſſos potentia partium protegente. Vt illud totum acciperet, Vngarorum lege pulcherrimus aptiſsimuſq. D. CASIMIRVS eſt iudicatus. At ille manum ambitioni ſubtraxit, quòd ſub onere pretioſo pietatem ſuam vileſcere poſſe exiſtimaret. Attentus in ſalutis ſuae curam animus, quoniam omnem ſeruitij nobilioris quaerebat opportunitatem, & acuta acie moras imitationis diuinae perſpiciebat, naſci ad Regna ſatis eſſe ratus, caeleſti ſpei ſuam conſecrauit dignitatem. Vt quid in oblatam rerum omnium affluentiam concederet, qui paupertatem iam inter ingentes Regiae domus opes adamauerat? cur ſub diademà iret, qui pridem rerum contemptu honorauerat cogitationes? aut ſceptro tenendo dexteram porrigeret, quam proijciendo auro exercuit? An enim ad diuini conſcientiam arcani non pertinebat ſe Regnis non induere, qui Mundum exuerat?

exuerat? Fuere potentiſsimi Principes, qui dum ſuæ animæ gubernacula tractare vellent, feſſamq. imperando ætatem, velut in portu colligere, ad priuatæ vitæ anguſtias confugerunt: ille ante tempeſtates curſu abſtinuit, quòd laudabilius eſſe iudicaret honores fugere ex deſtinatione, quàm experientia difficultatum connitente, Regio ſe officio eijcere. Quanquam & illa mens paucis contigit. Quidam enim, dum in longos annos ſpem vitæ proijcerent, in honore publici laboris ſunt deprehenſi: alios potentia non dimiſit: plerosque amor ſalutis communis periculis illigatos retinuit: nonnulli conſtantiam diuerſo virtutis flexu corrumpere non ſunt auſi. Ille venturas in flore moras præcidit, nè, ſi ætates ſingulas diuerſis gradibus ad maturitatem duceret, ægrè ſederet in propoſito. Et vidit ille quidem D. Stephanum ſub corona Vngarica magnum ſanctitatis culmen attigiſſe, ſibi tamen metuebat, nè ſi abundaret fortuna, virtutis acceſſione indigeret. Idcirco maluit nè dignatione quidem ſolari petentis Vngariæ ſtudia, quàm prima ſui progreſſus in bono veſtigia diſſimili paſſu confundere, aut proſequi. Ita abire Nuncij coacti, ſoliciti magis, quod tantam virtutem in ſolium, quam quòd ſuæ gentis regimen non impetraſſent: ille ſecurior non admiſſo principatu factus, gaudebat vna abiectione damnatam omnem beatam fælicium vim, & ſuffeciſſe ſibi ad victoriam, noluiſſe. Alijs videbatur amplißimum quidpiam adeptus, quòd æſtimationem digni imperio animi, Legati ſecum non ſine mærore exportaſſent: ipſe ſibi fælicißimus viſus, quòd excelſam ſtationem in materiam negligendi accepiſſet. Tum enim ſe didicit, non à voluntate ſola teſtimonium habere magni ab omni ſublimitate horroris, quando non admiſit, quod ingenti commendatione in animum influebat. Orbis quoque terrarum, quamuis ſciret eum meruiſſe in alto proponi, neſciuiſſet, qua propenſione in adipiſcenda eſſet, niſi adepta detrectaret. Meliùs iam liquet magni-

gnifica mens aſpernantis, cùm confugientem ſinu excuſsit honorem, ruentiq. in humeros Imperio Atlas eſſe noluit. Nempe ſuſcipiendis terris locum non inueniebat, qui auguſtum cælorum pondus plenis manibus ferendum admiſerat.

Et ego quidem dum hæc cogitatione amplector, meritò tantæ virtuti adſtupeſco; neque paterer me inde transferri, niſi alia ſe offerrent, quæ multiplicem æſtimati operis vbertatem magnitudine noua conuincerent Sit enim ſanè, vt quidem maximè eſt eximium & ſingulare, Regij animi decus, quemuis dignitatis fulgorem otioſo præterire oculo: maius tamen ſemper exiſtimatum eſt, ſic omnem ætatem quadam ſeueritate temperare, vt nullis delicijs deprauata, pudori integra ſinceraq. ſeruetur. Quemadmodum cauti admodum & prudentis eſt viri, euadere tectas inimicitias, quæ vultu amicitiæ pugnant: ita quiſquis naturæ adulantis inſidijs, gratoq. indulgentiæ veneno non patuit, eum ego humana altiorem conditione eſſe exiſtimo. Quò magis D. CASIMIRI par eſt ſuſpicere victoriam, qui per blandimenta vitiorum, libidinumq. faces illæſo pede inceſsit, nullis vnquam laudatis malis, quæ illecebris in perniciem armantur. Si quid accidit inopinatum, quod faciem recti induiſſet, ex ipſa ſcena agnoſcebat dolum, & robuſto metu inuadebat hoſtem, vt fuga vinceret. Neque enim ſecurum eſſe putabat lubricam ætatem delicato committere commercio, & cum iucundis periculis coràm agere. Vt nihil aliud efficiant, moram lenti certaminis ad vincendum inſtigant, ſucceſſumq. ſperant, quamdiu præſentiam victoris adhuc ſtare in ictum vident. Quanquam amæna hæc vis voluptatis, quantumuis diuturnitati fideret, actum hic egiſſet. An enim eum molli fregiſſet habitu, quem cæleſtia ſolatia ad obſiſtendum durauerunt, & cui ad victoriam ſatis fuit, ſemel rigidum vultum oppoſuiſſe? Vt interim taceam, diuini eum animi ductu, aſpero ſemper calle ad decus iuiſſe, nè, ſi ancipiti dubioq. itinere per-

pergeret, obuiam pro ratione haberet libidinem. Quis eum aliquando conſpexit leuibus puluillis, aut ſanitatem excepiſſe, aut molliuiſſe delicias? niſi fortè cùm premere vellet alienos oculos in vitæ communis opinionem; & luce quidem celaret vſitatam viuendi aſperitatem, tenebris autem duceretur ad corpus in ardua reuocandum. Tam illuſtri tamen exercitio caligo omnis depulſa, nihil poterat aduerſus curioſam multorum pietatem, quominus admiratione Principem obſeruarent. Habet hoc omnis virtus, vt communi oberrare vultu, turbæ ſe immiſcere, vulgari habitu ſpeciem ſuam componere non poſsit, quin plerique immigrent in receſſus, & ſuis illam tenebris æſtiment. Citiùs tamen intentus animus alienam in Principibus agnoſcit perſonam, & in famæ honore ac theatro ponit actus, quos pio conſcientiæ ſecreto texerunt. Vt vmbræ magnitudo prodit molem corporis: ita virtutis maieſtatem quæſita lucis abſentia. Fuerunt igitur, qui aſſeuerare non dubitarent, D. CASIMIRVM, cùm iam altum noctis ſilentium teſtes oculos ſubmouiſſe videretur, in nudam ſeceſſiſſe humum, nè minùs tractata conſuetudo tranſilire aliquando atque effugere honeſtatem poſſet. Tunc è cæcis ad templa pergere veſtigijs, ſeq. ad ſacras fores proijcere acceperat in morem, & magnæ loco fælicitatis ducere ſi contingeret, aut excuſſum deuotis euntium pedibus puluerem oſculo exciperet. Quale verò erat & illud ſpectaculum, cùm teneram obſequentemque carnem flagri violentia compelleret ad voluptatum negligentiam! crebris ictibus vulnera aperiret dolorum ingreſſui! molliores corporis partes liuore obduceret! Ad tam heroici operis præſentiam latebris euoluendam, dies, credo, ipſe properaſſet, ſi ſenſum habuiſſet pietatis. tenebræ interim ſanguine excuſſo erubeſcebant, quòd aliquamdiu conderent, quod Orbis terrarum poſtea erat conſpecturus. Licebit mihi proinde noctes illas, abolito vetuſto nomine, in auroræ appellationem vocare,

quòd

quòd defuſi cruoris luce purpuraſcerent, quaſi clariſſimum ſæculorum diem præirent prædicerentque, qui tantis factis debebatur, & ſucceſſit. Licebit & D. CASIMIRI ſtupere prudentiam, qui vt ſecuritate perpetua caſtitatis frueretur, ſpontaneis eam ita circumſcripſit ſupplicijs, vt nullis delicijs pateret aditus ad religionem bonæ mentis peruertendam. Ea de cauſa corpus obibat pœnis, emuniebatq. vulneribus, nè ſuę tanto theſauro excubiæ deeſſent. Spinis defendendam eſſe roſam hanc ducebat, vt pulchriùs inter ſtimulos vireret, puncturis in ſpem durationis excitaretur, horrore ipſo aduerſorum eſſet beatior.

Eò porrò æſtimatio poſtea proceſsit, vt morte vitam pudicitię conſeruandam putaret. Inciderat fortè morbus vehementior, cuius extremum diſcrimen cùm nullum ſiſtere poſſet medicinæ ingenium, Venus communi conſilio ſanatura credebatur. Hanc igitur Iuueni puriſsimo ſuadere auſi, vt ſi neceſsitate ad ſcelus ire nollet, honeſtate thalami vitam tueretur: geminato commodo pudorem in fæcunditatem prolis & ſanitatis expenderet; nec crederet florem hunc malè periturum, quem Reſp. in fructu, Pater in ſolatij maturitate, ętas in duratione eſſet habitura. Iniquum eſſet, illi, à quo in leuamentum ſenectutis accepiſſet vitam, ad luctum ſpontaneam orbitatem diſponere, & cogere ad lacrymas ſpem gaudiorum. In computationem offenſę venit fugiſſe, cùm manere liceat, è viuis, telo in pectus paternum vltro deiecto. Nam quòd relinqui à ſe exiſtimaret in virtutis amore mortis excuſationem, nil hoc aliud eſt, quàm nolle videri ingratum, & fieri: tollere cauſam dolendi, & facere. Cogitaret potiùs, pulchrius eſſe certos honeſtatis tuendę modos admittere alieno arbitrio in vſum, quàm ſuo eligere in perniciem. Abunde penſari poſſe cęleſtis conſilij mutationem iuſta conſeruatione legis. non cariturum culpa propoſitum quo virtutem iniuſſam ad iniuriam ſui, Patris, Reip. aleret.

Seque-

Sequeretur porrò ſui nominis Regem Poloniæ, qui publicæ ſaluti votum laudabiliter conſecrauit, eò quòd vidiſſet Principum virtutes eſſe priuatas non debere. DEVS bone! quantus contra has voces ſurrexit! quanta obſtinatione cohortationem preceſq. repulit! Faceſſant, inquit, tam ſuaues amici, qui ægritudinem vocant ad voluptates, & ad incolumitatem ducunt parricidio Caſtitatis. Quæ foret hæc viuendi conditio, nobiliſſimum animi decus pro morbo corporis ponere? quanta damni moles, mortis momentum redimere manſuro exitio? quàm graue, ad vitæ vſum remedio veniſſe, quod conſcientiam electionis optimæ non haberet? Malè verò hoc meo facto Patrem ducitis in mærorem, cuius lætitiam nulla vnquam pietas periculo defenſa fregit. Qui me hilari vultu aſpiceret in acie fortiter pro patria mortuum, ſine luctu non ſpectabit pro virtute occumbentem? Habere certè triſtem de me non poterit memoriam, quoties ſuam in meo deceſſu cogitabit inſtitutionem. Hoc ille docuit, hoc ego didici, magno vitæ rerumq. contemptu ire ad curam cæli, pergere in excellentem perennis dignitatis gradum per aduerſa, liberaliùs puriùſq. in DEVM, communem omnium originem, refluere. Regni quoque honores obijcitis? Quæ hæc eſt vecordia, in ſpem coronæ regalis diadema mihi tollere, æternum, quod DEVS integritati decreuit? Vtinam ad Maiores veſtros, quibus arcana cæli necdum innotuerant, oculos referretis; eueniret mihi fortaſsis veſtro conſilio, nè infra Vendam eſſem, cuius pudicitiam Polona fortitudo ſuis periculis funeribuſq. ſeruare voluit. O vocem verè Regiam, humaniſque viribus maiorem! O laudabilem ſeruandæ puritatis contumaciam! Quid hac eſſe potuit mente fortius, quæ egregio impetu ad vniuerſæ rei dimicationem venit, & vno ictu delicias, earumq. laudatrices, Naturam, Neceſſitatem, vitam ſuperauit? Habeant itaque ſuas ſibi laudes, quicunque exciderunt vultus emendatiſſimi formam, mutilarum

oculis

oculis euulſis naribuſq. præſectis pulchritudinem, ſexum ſi-mulatione texerent, vt pudorem in tuto ponerent: D. CASIMIRVS patenti campo adeptus eſt victoriam, dum præ voluptatis horrore, è viuis integer abire maluit.

At eum nos tamen exceſsiſse non arbitramur, quem imitatio in animis expreſsit, veneratio in templis reliquit, patrocinij præſentia retinuit in Regno, gloria vbique poſuit. Quanta ornamenta contemptus vitæ in penſus Caſtitati protulit! Cumulatè DEVS immortalis penſauit palatia templis, ſolium aris, Regnum ſupplicibus Imperijs vniuerſis. Omnia enim hæc contigerunt, poſtquam miraculo vitæ operumq. attonitus LEO X. diuina authoritate dignum proclamauit, cuiùs Sanctitati Orbis terrarum aſſurgeret: cui ab omnibus fas eſſet vota reddi: à quo pericula immunitatem, anceps belli alea ſucceſſum, tota deterioris fortunæ tempeſtas ſerenum precaretur. Erexerunt ſe ſubito ad hoc edictum omnes, & priuatam iàm pridem pectoribus incluſam pietatem palàm protulerunt.

Cùm plurima multi agerent, SIGISMVNDI III. Regis deuotio liberalitatem omnium ac venerationem toto apice exceſsit. Qua enim ille impenſas fundebat copia, vt argenteus eſſet locus, qui auguſtæ reſponderet ſanctitati, & nobiliſſimarum familiarum Iagelloniæ atque Auſtriacæ decus cęlis inſertum, magnificè in terris contineret? Quam diuturnos artificum labores, curſuſq. annorum in feſtinationem ſacræ ędis vocauit? quorum tamen aſſiduitas, non tam in magnitudinem moram conſumpſit, quàm in rara maieſtate loci, & inuſitato materię pretio prolixam artis induſtriam contriuit. Quot maria nauigatione fatigata, vt exquiſita manuum doctrina in rudi impolitoq. marmore, naturę ingenium iam inueniret? Cui enim alteri remotorum littorum lapis, peregrini laboris ſudor alienę fęlicitatis raritas deberetur, niſi illi, qui ea prodijt ſtirpe, quę terras longè latèq. diffuſa ample-

ampleᏧtitur poteſtate? Hic eſſe decuit, non quaſi reluctanti rerum ordini ereptum, ſed ex intimo ſinu tranſmiſſum, quidquid vehementi ſolis appulſu vſtum eſt ad decorem, æterno frigore in ſpeciem concreuit, fortuito elementorum concurſu ſolidam rapuit formam. Hic par eſt precioſam Regnorum fæcunditatem in communi obſequiorum cumulo apparere, vbi in probatiſsimo virtutum exemplari fulget maxima terrarum dignitas. Stat proinde iam opus immortale, ita æſtimatione materiæ & argumenti illuſtre, vt quid alteri poſſit præferri, neſciatur, niſi quod vtrumque ad piam Authoris liberalitatem ſuſpiciendam animos ſpectatorum auocet. Hæc enim in omni illo decore pulcherrima eſt, & ſumptuoſum ſtructuræ valorem excedit præſtantia. Hanc omnis ille in picturam cæſim compoſitus lapis monſtrat, animata in Diuorum figuras marmora loquuntur. ædes ipſa aſpici indignatur, ſi quiſpiam alios in admirationem ſenſus afferat. Et ſane, quid pulchrius hoc ſacro domicilio cogitetur, quod ita elegantia vbiq. perpoliuit, & obtinuit pietas, vt propè totum aram dicerem, niſi amplior maieſtas, dum ſe ſuperat, atque magnitudine cõuincit, diſcrimen faceret? Ignoſcet mihi Romanæ eloquentię copia, ſi cum verborum periculo in re tanta loquor, & ita in magnis explicandis repo toto ſignificationis faſtigio, vt ad maiorum explanationem infimum ſit, quidquid vniuerſa facundia habet primarium. Neque enim facile eſt vnam dicendi facultatem inter egregia præſtantiſsimorum Regum duorum, SIGISMVNDI & VLADISLAI facta ita partiri, vt vtriuſque ſe exæquet munificentię aut pietati. Dum moror in vno, dum ad alterum propero, illum mora non exprimo, hunc feſtinatione non aſſequor. Adeò amplitudo facti variauit audaciam tentantis omnia animi, vt cogar in diuturnitate arguere properationem, & celeritatem tarditate excuſare. Quis enim diſſerat, vt Pater inceperit! vt perfecerit Filius! quàm æquabili tenore largitas ac beneficentia

ficentia

ficentia venerit ad cõſummationem! Cùm paris manus moſitionem intueor, propè opus in plures Authores diſcerpere non auderem, niſi palàm conſtaret, VLADISLAI Regis eſſe perfectionem. Illi hanc gloriç partem DEVS ſeruauit, vt & ſplendidum abſolueret ędificium, & ſua Diuiq. CASIMIRI pręſentia impleret.

Et quoniam magnarum laudum emenſus Oceanum, oſtia quoque ac veluti ingreſſum ad alios labores euaſi, video mihi rurſus immenſum aliud æquor nauigandum. Intueor Triumphum, quo D. CASIMIRVS in erectum ſuo honori Capitolium peruenit: quem quemadmodũ fragili veham nauicula, aut quomodo leui gubernaculo in portum regam, non intelligo. In tanta conſilij inopia ad vſitatam confugere fortaſsis proderit temeritatem, & metum Numine propitio eorum, quibus mea vela credidi, leuare. Expediam cæca hac ratione exitum ſi non integrè (præcipua enim tantum attingere eſt animus) certè auſpicatò, quamprimum in alienam fortunam, quam aperto mari veho, reſpexero. Vtinam tantum mihi ingenij aſpiret hæc fælicitas, quãtum omnibus, quos deuotio Vilnam exciuit, alacritatis eſt elargita! Poſtquam enim priore loco motus eſt D. CASIMIRVS, vt in perpetuam dignamq. cęleſti Principe ſedem honoratus deinde pergeret: quanta vndique confluxit hominum multitudo, vt aut paululum morantem in primario templo obſeruaret, aut deduceret procedentem! Crederes eodem ſacrarum manuum nixu excitatos, motoſq. domibus eſſe ciuitatis frequentiſſimæ homines, vt dedignati commoda ſuorum parietum ſpatia, latiſsimas publici itineris areas tumultu venerationis anguſtarent. Et fuerint ſanè viæ obſtructæ: celerem tamen faciebant profectionem, cùm ſe veluti fluctus amica iniuria ad officium promouerent. Paucis tamen contigit in eodem, poſtquam acceſſerunt, veſtigio hærere. Pręteriuiſſe ſatis erat ad ſolatium difficilis viæ. Reſtabat enim ſpes diu-

tiùs ſpectandi, ſi paribus anguſtijs, ſed potentiori ſpectaculo cæleſte bonum vrbem inuiſeret. Ea res plurimis perſuaſit, vt priuatis impendijs lætitiam communem iuuarent. Nemo igitur parcere ſumptibus, aut ingenio, nemo à Maioribus tranſmiſſa ornamenta clauibus coërcere. Omen erat pręſagium que manſurę fęlicitatis, toto diuitiarum apparatu prodire, & inclyto opum obſequio ſecuram facere fortunam.

Dies ſequens oſtendit omnium cogitationes. Diuus enim Princeps pretioſo incluſus loculo, dum ſuccollante nobiliſſimo Clero inter hilares plauſus, triumphaleſq. Academię voces, per longos platearum tractus duceretur, nihil deſiderare potuit, quod pietas non contuliſſet ad venerationem, liberalitas ad maieſtatem. Ita vndiquè deuotus ſplendor Arcus erectos ędeſq. inſederat, vt noua Vrbis facies diem ſibi ipſa ornatu inuſitato augeret. Aulęa textili auro illuſtrata pro foribus, vela acu picta inter florum argutias pendula, omnis peregrinę opulentię, inq. ſuis ſuccis attonitarum opum induſtria, ſi quando ambitioni aut luxui pręluſit, hominum penſabat honore tali errorem, ſuamquè iniuriam expiabat. Diceres diuerſarum ornamenta terrarum vnà conueniſſe, vt artis pretijq. certamine cumularent oblectationem, & multiplici cultu prętereuntem diuinum Iuuenem venerarentur. Sed quid ego hęc ędium propè geſtientium gaudia commemoro?

Erat alia longè pulchrior ad pompam materies non impreſſas Deorum fabulas mentiens, aut profana veterum Heroum exhibens ſimulachra, ſed ipſius D. CASIMIRI rebus geſtis ſpectabilis. Quis eum & vultu gratum, & habitu modeſtum, & fortuna illuſtrem ab operoſo penicilli labore non accepit, vt pro amęno domus veſtibulo exponeret? cuius palatium non occupauit effigies, quę purpura Principem, lilijs Virginem, Diuum radijs non fateretur. Iam ipſa quoque miracula plurimis viuebant in imaginibus, tam ac-

com-

commodata ſimilitudine veritatis, vt ars affectibus obtemperaret, doctaq. colorum poſitio tabulas pijs quibuſdam ſenſibus animaret. Videre erat ipſius patrocinio puellam à morte ad vitam remeare, non ſine amabili quodam horrore, quòd ita in duarum rerum diſparium confinio idem vultus ſtaret, vt diuerſis ſignis exanimis adhuc iam viuere inciperet, & iacentis cadaueris notæ in ſurgentis corpore ſumma concinnitate conuenirent. Aderat & memorabilis ille cæleſtis fauor expreſſus, cùm contra Moſchorum perfidiam vado ſecuro præiuit exercitum Iuuenis candidiſſimus, qui albo inuectus equo, alibi inſanos elementi vortices tuto tramite vitauit, componente ſe flumine ad tranſeundi fiduciam: alibi ſenſim conſpectui ereptus, ſciebatur fuiſſe, picturæ dexteritate pręſentiam in abſentia retinente. Et illud ad decorem pertinebat, cùm in eoſdem hoſtes confertiſſimos paruam Lituanię manum duceret, & in aëre, velut de tribunali regeret: idoneo humanæ ſolertiæ inuento, quaſi vbiquè numine ſuo adeſſet, & hos quidem iuſta ira in vindictam prædarum accenderet, illos ab aduerſis gladijs tegeret, nullos ſineret patere vulneribus, omnibus famoſam cæde fugaque victoriam largiretur. Quid ſingula in tanta copia perſequar? dicamne, quemadmodum eximia artis pietas in arcanis rerum euentibus, curationum modis, auditarum precum luſerit argumentis? dicam de penicillo exiuiſſe in genua ſupplices ad petendum, ad rependendum donis beneficium hilares? oculum creuiſſe cæco, merſum è fundo redijſſe in cymbam, ignem in incendio ad vrendum ſubitò frixiſſe? dicam ſuis ipſum in omne genus hominum meritis ſibi ad ornatum abundaſſe? Erat enim vita ipſius clariſſimis virtutibus locuples, & mirandis poſtea operibus cælitus illuminata: omniumq. ita ſuffecit votis, vt negotium in ea fuerit eligendi, non quidpiam deſiderandi difficultas. Nec decuit aliter D. PRINCIPEM ornari, niſi vt ex ipſomet, velut

ex di-

ex ditiſſimo theatro triumphi acciperetur celebritas. Inanium eſt aliunde emendicatis frui honoribus: pleni de ſe porriguntur ſolennem conſpectum.

Inde erat etiam, vt, cùm multus vbique & varius fieret plauſus, nullae voces gratiùs acciperentur, quàm quas ipſe Auguſtae Virgini cõcinnauit in honorem. Quidquamne dulcius eſſet carmine, quod an plus ex candidiſsimo pectore acceperit ſuauitatis, quàm pietatis, in dubio eſt? Cui pulchriùs aures accommodari queant, quàm vbi verborum gratia per interualla pari ſibi occurrit gradu, quaſi vocali imagine in exitu repercuſſa concineret? vbi breui interſtitio cadendi æqualitatem ſuſpendit, vt mora in ſimilem modum iucundiùs conueniat? vbi erudita eloquentia alternis claudicat verſibus, & varius pedum inceſſus, paſſu alibi diminuto, exæquato alibi iucundiorem facit precandi voluptatem? Dum quælibet ſententia, velut torno excuſſo, limatior veniret ad vocum concordiam, ſæpiuſq. in orbem recurreret pijs ſenſibus delibuta oratio, animus auſcultatione colliqueſcebat. Quæ ego omnia curſim prætereo. Neque enim fas mihi eſſe video his immorari, quandò alia ſe offerunt magnorum Virorum decora, qui triumphanti D. CASIMIRO ſuam prębuere in obſequium dignitatem.

Erit prę oculis æternitati MARIVS PHILONARDVS, Auenionenſis Archiepiſcopus, qui VRBANI VIII. effultam humeris Vicariam DEI in terris poteſtatẽ ea parte, qua Sarmaticis incumbit Regionibus ſuſtinet eximiè. Nempe non ſatis exiſtimabat magnificentiã fauſtiſſimę diei à ſe illuſtratam, niſi Diuo Indigeti in plauſum ceſſiſſet, quidquid eximijs ſuis factis liberalitas ſummorum trium Pontificum in pręmiũ contulit, & explicaſſet in pompa id omne, quod Romę in auguſto Chriſtiani Imperij theatro maximũ eluceſcit. Narrabit quoque omnis ætas ABRAHAMVM VVOYNAM Vilnenſem

Antiſtitem, cuius in illo numeroſo Senatus, ordiniſque Sacri qua Latini, qua Græci ritus fœderati agmine pulcherrimus emicuit ſplendor, & tam pium deuoti laboris exemplum, vt ad ſanctos animorum impetus ciendos, vis ab eo atque permotio veniret. Demus ſanè multum priuatę ſingulorum facilitati: conſtat potentem cohortandi humanitatem plurimùm frequentiæ profuiſſe. Senſit Lituaniæ ac Ruſſiæ reuerentia plenam ſeduli Præſulis vocem, tantoq. cumulo ad authoritatem conſurrexit inuitantis, vt, ſi cætera multitudo abfuiſſet, lectiſsimus Sacerdotum populus feciſſet venerationis denſitatem. Et hæc erat cęleſtis imitatio induſtrię, diuino inſtinctu lætiſsimas terras inſtruere, & tot pectoribus eſſe pium, quot conſultiore prudentia ad noua vota incitauit, aut vberiore affectu ad ſecuram deſideriorum impulit proſecutionem. Ecquis verò cæteros enumeret, quorum ſacer illuſtriſque comitatus fecit communis lętitię acceſsionem? quis conſpicuos eximijs curis Senatores, feſtum Magiſtratus Aulici decus, ſplendidum liberę nobilitatis progreſſum percenſeat? ſua illi ſe eximent obliuioni virtute, & meo ſilentio culti ipſam pro ſe audient ęternitatis facundiam perorantem.

Tacere tamen eos non debeo, quorum gloria vbertatem dicendi ex ipſa munificentia accepit. Quis illam magnificè erectam Caſimiri Sapiehæ Mag. Duc. Litu. Notarij molem, qua latiſsimum plateæ ductum exornauit, ſuo gaudio; illius pietate caelis non coniunxit? quis in triumphali ingreſſu, quem arte & pretio inſignem, ingenio deuotionis nobiliorem fecit, non deſignauit cogitatione locum qui Authoris nomen aeternùm ferret. Quòd ſi caeleſte ſtudium interpretationem patitur ex factis, &, quae viſa non ſunt, fidem habere poſſunt ex cauſa, crediderim D. CASIMIRVM Clienti ſuo viciſsim Arcum erexiſſe, qui longum annorum

curſum

curſum ad feſtinatos honores & conſtantem famæ & felicitatis morem tranſmitteret: opibus inſuper tam bene impenſis fauiſſe, vt manſuris in faſtigio acceſsibus conſiſterent, augerenturq. Quò me cæterorum quoque impendia adducerent, ſi ſingula diſſerere vellem. Quò Academia Vilnenſis? cuius ſolennes labores recurrens in orbem ſupplicatio amplexa eſt, vt primitias beati fauoris in ingreſſu conceſſas, reditu cumularet, & non nouam tantùm in cultu induſtriam, ſed eruditos etiam ſudores gemino tranſitu ſolaretur? In quę dicendi ſpatia peruenirem admiratione ſtudij, quo Vilna potiſsimam fori ſui faciem tota inſedit, & ſuæ vbiquè diffuſę ſummam fecit alacritatis? noctis inter faces, lætitiamq. in memoris tenebrarum? ignium in altum expreſſorum ſub cælo luſus?

Tui hæc ingenij fuit pietas, VLADISLAE Rex Inuictiſſime, qui Reip. animus, vniuerſas tanti corporis partes commouiſti. Meritò itaque integra clariſsimi per omnes fuſi facinoris magnitudo ad Te Authorem redit. Omnia per ſingulos diſperſa religioſę liberalitatis vel obſeruantię momenta, quoniam à Te profluxerunt, in gloriæ Tuæ amplitudine colligi neceſſe eſt. Atque ita Oceano æquaſti Tuæ copiam pietatis, vt & intra capacem religionis Tuæ curam omnis ſubditorum ſe voluat imitatio, & laude recurrat ad cumulum, quidquid exemplo prodijt. Non poſſumus auguſtè Tuam explicare virtutem, quæ per innumeros diffuſa, recepta deinde in Te, maius reperit ſpatium. Tuum, noſtrumq. eſt, quod egiſti: & eò quidem magis noſtrum, quia Tuum. Liceat tamen mihi liberè conqueri. Maiore vi vſus es in noſtros affectus ac mores, quàm noſtra neceſſitas, aut Tuarum virium ratio exigebat. Quis enim ad D. PRINCIPIS honorem Tuis votis non iuiſſet? quem non duxiſſes ad eadem, aut paria nutu? Vt quietus ſacris incluſus palatijs audires, ſpectareſq. cæleſtem omnium lætitiam, valetudo afflicta volebat: imbecillitatem

in Te ad cultus proſecutionem agnoſcere noluiſti. impeditum fortuito morbo pedum officium proponebat: non admiſiſti excuſationem. egebat ſanitatis cura latè conciliato domeſticæ vmbrę ſilentio: Regium eſſe ſanari publicis curis dixiſti. Quis Te adeò Tuis aduerſum reddidit commoditatibus, vt vitam non tractes commodè vt Regiam: non ſolicitè vt publicam: non tranquillè vt indigentem: ſed robuſtè pièq. inter grauiſsima quæque negotia circumferas? O egregiam nulliq. tacendam Tuam virtutem! Pulcherrimum inueniſti inuictæ Tuæ fortitudinis campum, vt qua contra hoſtes vſus es ſtrenuè, ſalubriter pro Rep. contra Te ſanctè vtereris. Meritò Te ſubuectũ frequens venerata eſt multitudo hominum, & quoniam ex abſentia ęgreſcebat dolore, deuoto morbi tui obſequio ad gaudia conualuit. Tibi igitur communem feſtiuitatem debemus reſtitutam. Nam licèt integros nos feciſſet ſola Tuæ voluntatis lex ad ſolennem D. Tutelaris venerationem: Tuę tamen ægritudinis vultu omnia egiſſemus, & conferentes ſimul diuerſa animi diſcordis indicia, hilaritatem expreſsiſſemus mærore. Ad Te conſpecto nubilę mentes ſuam recepere ſerenitatem, integra fronte occurrimus fauſtiſsimo diei: ęquabili imperio plenum pectus cępit regi. Quidni verò regeretur? quandoquidem vno in triumphali ſpectaculo geminorum Principum coniuncta Maieſtas deſiderium oculorum, rara cum lætitia populorum cumulatè expleuit. Et CASIMIRVS quidem victorias ſua ope partas indicabat. Tu ſubijciebas. Ille quaſi triumphantem pręibat: Tu ſequebaris. Planè ita cuncta ceciderunt, vt nulla Tuæ gloriae pars latuerit in alieno plauſu. Videreris licèt illum alteri feciſſe: nos Te, non ſeiunximus. proceſſeris ſanè ſupplex: hoc erat Triumphatoris indicium. Comitem Te feceris ſacrę actionis: Principem Te, & quidem geminata authoritate agnouimus. Paterna enim pietas prima

operis

operis huius excitatione nobilis in Te ſimul effulſit, atque ita antiquis deſiderijs ſuffecit, vt nemo abeſſe crederet iam redditum cælo Patrem, qui Te intuebatur. Accedit, quòd prouideris, nè CONSTANTIAM Reginam magnifici ſociam laboris in tanta ſpectaculi copia quiſquam deſideraret. Apparere enim voluiſti in eodem ſpectabilium virtutum theatro Auguſtam Sororem Tuam ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM, quæ Matrem ad ſuperos receptam conſtanti probitatis miraculo redderet. Et verò amplè ſatis illa in tantum nomen ſonuit, effecitq. vt in floreſcente indole verecunda honeſtatis maturitas cerneretur, & altus creſcentis gloriæ gradus faſtigium æmulo aſpectu exhiberet. Digna profectò quæ ad Maternæ laudis imaginem tam clara origine inſtitutioneq. & tanti Fratris fælicitate venerit.

Quòd ſi ea huius operis eſt vis ac poteſtas, vt Orbi terrarum ſufficiat, quod igitur tandem maius iam dari potuit lætitiæ honoriſque ornamentum, quàm cùm tantis comitibus D. CASIMIRVS ſuam obiuit vrbem, populumq. inuiſit? Conſtiterit ſanè beatè in ſuo illo Mauſoleo, cuius omnis ætas mirabitur pretium, & ſplendorem: beatiùs tamen iuiſſe dicendus eſſet, niſi eadem præſentia pulcherrimum illud domicilium cohoneſtaſſet. Spectabit id ad perennem cultus ſecuritatem, quod factum conſpeximus, vt quiuis oculis hauriat venerationem, cuius inuitamentum ſtabili ſedi liberalitas & præſentia impreſsit. Nè quis ſuorum malus cuſtos laborum opes cupiditate obſeret, malitq. collectas ad auaritiæ hæreditatem tueri, quàm ad diuini Numinis gloriam explicare, occurret ei SIGISMVNDI III. munificentia. Nè ſe ſubducat ſacris obſequijs præſumptio alicuius dignitatis, VLADISLAVS IV. potenti ad pietatem corporis debilitate conuincet. Vt verò in eum locum perpe-

Digitized by Google

tuo accurſu omnis ſe recipiat neceſsitas, aurea lampas, ſplendidum CONSTANTIAE Reginæ munus, Virginali Filiæ manu ante aram ſuſpenſum, allucebit. Et ſcimus nos quidem fore, vt ab admirandis euentibus iam pridem nata deuotio, ſuam deinceps proſecutura ſit inſtitutionem: à tantis tamen, tamq. heroicis factis ingens veniat neceſſe eſt precandi fiducia. Fælicem certè Poloniam tanto bono. Inde enim licebit ſucceſſus domi militiæq. alere, populorum accipere ſalutem, vires fortunamq. contra hoſtes educere, vbi tanti PRINCIPES ſuam exercuerunt pietatem, depoſuerunt victorias, triumphos conſecrarunt.

Hic ego quoque, D. CASIMIRE, humile hoc laboris mei obſequium appendo, vt veniam audaciæ, qua tuas virtutes tractaui, deprecer, & quod ſtylo detriui, immortali Tuorum operum compenſem argumento.

Illu-

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D.

G E O R G I I
O S S O L I N S K I

Comitis de Thenczyn, S. R. I. Principis, Regni Poloniæ Curiæ Theſaurarij, &c.

Sereniſsimi ac Potentiſsimi

VLADISLAI IV.
POLONIAE ET SVECIAE
R E G I S

Ad Sac. Cæſaream ac Regiam Hungariæ, & Bohemiæ Maieſtates, Septemuiroſq. Romani Imperij Principes Ratisbonæ congregatis Legati extraordinarij.

O R A T I O

Habita Ratisbonæ in Collegio Electorali Anno 1636. die 26. Septembris.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

GREDIDISSET Orbis Magni Principes, Legati Illuſtriſsimi, Vladislaum Poloniæ & Sueciæ Regem Potentiſſimum, pace domi foriſq. parta, auctis prolatiſque Regni terminis, Amurate ſola armorum oſtentatione, ad pacem petendam compulſo, & metas Ottomanici Imperij, quas nec ſolis curſu olim declarari volebat, Vladislai placito terminante, altum quieſcere, & tot laborum, ſudorum, vigiliarum, victoria-

riarumq. trophæis incubare. Sed longè aliter accidit: generis humani bono, cælitus datus animus, proprijs commodis nequaquam acquieſcit, ſed ſuæ proſperitatis, niſi orbem participem viderit, haud putat laborum fructus maturuiſſe. Videt Chriſtianorum nomen, & gloriam conſanguineis fædari armis, proſpicit ex illa, cui Polonorum Regum thronus ſuperimpoſitus, altiſſima orbis Chriſtiani ſpecula, imminentem ab Oriente procellam, diſcordijs Regum Principumq. Chriſtianorum excitatam, intuetur miſerandum in modum diſcerpti, florentiſſimi Hungariæ Regni reliquias, proluendo gutturi inſatiabilis Ottomanicę belluę deſtinatas. Hęc omnia dum penitius conſiderat, amiciſſimi Regis, vicinęq. gentis diſcrimine excitatur, & quid in rem futurum ſit ſublimi Regię mentis cogitatione perpendit, opportunè nuntiatur Sacri Romani Imperij Electores Principes, hac in Vrbe conuentum more maiorum celebraturos, conſulturoſq. orbi, & tanti periculi metu conſternatam Rempublicam erecturos. Ingenti perfuſus lętitia, me quantocius aduolare voluit, & ſuo nomine Serenitatum Celſitudinumq. Veſtrarum conatibus gratulari, in ſubleuandis Imperij, reliquorumq. Regnorum rebus conſilium communicare, operam offerre, affectum denique & ſolicitudinem tanto Principe dignam declarare. Ea nimirum eſt Sacrę Regię Maieſtatis ditionum, cum Imperio Romano, eiq. annexis Prouincijs coniunctio, ea negotiorum, & commerciorum communicatio, ea demum periculoſiſſimę vicinitatis cum hoſte omnium potentiſſimo ratio, vt vtramque ſceptrorum Cęſareę Maieſtatis fortunam, ad ſe iure arbitretur pertinere. Quamobrem de reſtituenda Germanię, tot tantiſq. bellorum procellis attritę, pace & tranquillitate, ab eo die quo Polonæ gentis liberis ſuffragijs Rex appellatus, ſemper ſe ſolicitum declarauit, neque vllam prętermiſit eius reuocandę occaſionem. Sed generoſus ille

Ger-

Germanicę gentis ſpiritus, quamuis cum diſpendio rerum fortunarumq. ſuarum, noluit hactenus dum externi hoſtes in ipſis Germanię viſceribus graſſabantur, pacis mentionem admittere, ne ſe victum, & ad eam petendam inter cęſorum conciuium buſta compulſum fateretur. Nunc vero cum nonnullorum vires, ad contemnendas redegerit reliquias, cæteros vltra Germanię limites faceſſere coegerit, ſperat Regia Maieſtas, tanto promptiorem ad pacem amplectendam fore, quanto glorioſius eſt proſperis rebus non magis inſoleſcere quam aduerſis frangi. Repetit ergo toties declaratum pacis in Imperio ſtabiliendæ ſtudium, ſuamque operam, & conatus ſe interpoſiturum luculentiſsime pollicetur. Sperat porro Serenitates Celſitudineſque Veſtras, tam præſentes, quàm per Illuſtriſſimos hos Legatos interuenientes, non modo Sacræ Cæſareæ Maieſtatis pientiſſimum animum precibus ſuis inclinaturas, quo eum communis boni ſtudio vltro propendere conſtat, ſed & proprijs conatibus in hoc tam expetendo negotio cooperaturas. Efflagitant hoc afflictæ plebeculæ cælum petentes lachrymæ, attritæ nobilitatis vires, Prouinciarum ſolitudo, agrorum vaſtitas, vrbium oppidorumque ruinæ, vno verbo ipſa quam in Germania vix reperias Germania. Depoſcit iure ſuo periculum, ab immaniſſimo nominis Chriſtiani hoſte imminens, cuius arma quamcunque Europæ partem petierint, ſtolidus ille foret & impius, qui communi non commoueretur diſcrimine. Exigit denique pietas, vt tandem à fundendo Chriſtiano ſanguine, quem tot proh dolor hauſerunt & nunc hauriunt Prouinciæ, deſiſtatur, & ſi porro fundendus eſt contra illius hoſtes pugnando fundatur, qui ſuum noſtræ fudit ſaluti. Sed dum Sac. Reg. Maieſtas Dominus meus Clementiſſimus, rationes tam ſtabiliendæ in Imperio Romano pacis, quam publicæ gentium ſecuritatis ponderat, agnoſcit iudicatque

catque

eatque neutrum firmum fore, niſi electo, ac declarato, in hoc Serenitatum Celſitudinumque Veſtrarum Conuentu, Romanorum Rege, & vergentis in ſenectam Sac. Cæſareæ Maieſtatis Imperij conſorte. Neque vero hac tam ſublimi dignitate in quemuis collata conſultum Reipublicæ Chriſtianæ arbitratur, ſed vnum eſſe Sereniſſimum ac Potentiſſimum Hungariæ Bohemiæq. Regem, cuius capiti impoſitum Romanorum Regni diadema publicam poſsit ſalutem firmare. Quis enim non concedet ſapientiſſimè maiores Serenitatum Celſitudinumque Veſtrarum egiſſe? dum Romani Imperij habenas, iam quintum iiſdem crediderunt moderandas, qui oppreſſum Turcica tyrannide Pannonum Regnum gubernarunt. Nempe exhauſtas & deficientes illius Regni vires, quibus tamen velut propugnaculo Imperium Romanum protegitur, non diuellendas eſſe à Germaniæ vinculo iudicarunt, ne ſeparatæ, hoſtili obijcerentur potentiæ, extinctæ vero Germanicis Prouincijs eas adferrent calamitates quas à tot annis deploranda ſuſtinet Hungaria. Quanto magis idem conſiderandum hoc tempore, cum Turcarum tyrannus ab immenſa Diuinæ Maieſtatis bonitate feruente Chriſtianorum bello, alligatis (vti pueri ludentes ſolent) oculis per varios Orientis huc uſque circumductus angulos, Occidentem tantum reſpicit, forſitan eadem manu (ob ſacra Chriſtianorum manibus polluta) reflectente, & vnionem noſtram communis hoſtis metu procurante. Hunc vero à ceruicibus tot Regnorum depellere, & incendium in aliena potius domo extinguere, quam in propria operiri, erit ſummę glorię & celebratę huius auguſti Collegij prudentiæ. Conducet abſque dubio, & ad pręſens pacis reſtaurandae propoſitum, ſi ardentibus vndique flammis ſubtrahantur alimenta, ambitionis ſcintillis obnoxia. Hiſce de cauſis Sac. Reg. Maieſtas Dominus meus Clementiſſimus, Sere-

niſsimo

Digitized by Google

hiſsimo Hungariæ Bohemięq. Regi, Fratri ſuo amantiſſimo, Romanorum Regis coronam votis ſuffragijſque Serenitatum Celſitudinumque Veſtrarum deferri ſummopere deſiderat, enixè poſtulat, neque de Serenitatum Celſitudinumque Veſtrarum affectu, non ſolum erga Sereniſſimum praedictum Regem, ſed & vniuerſalem Chriſtianarum gentium ſecuritatem dubitat. Accedunt huic Regię petitionis ſuffragio, innumera Auguſtiſſimę Auſtriacorum domus merita, plurima in familias ſubditorum Principum collata beneficia, Sac. Cæſareæ Maieſtatis pro integritate, & iuribus Imperij Romani exantlati labores, & vel hoſtium vocibus prædicata paterna in omnes, diuinaque duntaxat minor clementia. Succedunt propriæ Sereniſsimi Hungariæ & Bohemiæ Regis virtutes, quas prius ne florentes an maturas Orbis viderit? dubito, ita in ipſo flore fructus præbuerunt copioſiſſimos. Huius ipſius Vrbis murorum ac propugnaculorum hiantes cicatrices, quid aliud ſpirant, quam inuictam Victoris mentem, vni clementiæ ſubiectam. Nordlinganæ vero memoriæ victoria, tum demum deficiet, cum Danubius Alpes repetet, & Euxini aquas in proprios referet fontes. Explicare veterani Ducis quem ſibi circumdederat Vrbium Germanicarum nodum, & paucorum menſium ſpatio, totum Sueticarum victoriarum iter relegere, ſoli FERDINANDO III. fata conceſſerunt, cuius gloriæ ſubſternenda hoſtium trophæa, tamdiu conſeruarunt. Ergo Sereniſsimi Principes Voſque Legati Illuſtriſsimi Scipionis huius Veſtri Germanici fronti debitam lauream imponite, ac triennium victoriarum, tertia corona ornate, immo in vno FERDINANDO, omnes pene Regum Principumque familias, aut conſanguinitate, aut affinitate iunctas coronate, Sereniſsimi vero Regis mei, pro incolumitate Chriſtianæ Reipublicæ in extrema excubantis ſtatione laboribus,

vigi-

Digitized by Google

vigilijs, vitę ipſius periculis hoc vnum ſolamen præbere; vt eum Veſtris iudicijs, Veſtris ſuffragijs in ſublimi Romani Regni throno collocatum videat, quem ſibi Deus non ſolum ſanguinis, & amoris coniunctione fratrem, ſed & communium pro Chriſtianis periculorum, laborumque conſortem deſtinauit.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi D.

IOANNIS LIPSKI

EPISCOPI CVLMENSIS,

ET POMESANIAE,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

VLADISLAI IV.

POLONIAE ET SVECIAE

R E G I S.

AD SERENISS. ATQVE INVICTISS.

FERDINANDVM III.

ROMANORVM IMPERATOREM

Semper Auguſtum

L E G A T I,

O R A T I O

Habita in Aula Cæſaris, coram Sua Cæſarea Maieſtate

Die vltima Iulij.

Digitized by Google

vigilijs, vitę ipſius periculis hoc vnum ſolamen præbere, vt eum Veſtris iudicijs, Veſtris ſuffragijs in ſublimi Romani Regni throno collocatum videat, quem ſibi Deus non ſolum ſanguinis, & amoris coniunctione fratrem, ſed & communium pro Chriſtianis periculorum, laborumque conſortem deſtinauit.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi D.

IOANNIS LIPSKI

EPISCOPI CVLMENSIS, ET POMESANIAE,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

VLADISLAI IV.

POLONIAE ET SVECIAE

REGIS.

AD SERENISS. ATQVE INVICTISS.

FERDINANDVM III.

ROMANORVM IMPERATOREM

Semper Auguſtum

LEGATI,

ORATIO

Habita in Aula Cæſaris, coram Sua Cæſarea Maieſtate

Die vltima Iulij.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

PErtinebat, Inuictiſſime Imperator, ad noui Imperij auſpicia, & Chriſtiani Orbis Vota, atq. auguria, vt VLADISLAVS Rex poſt debellatos hoſtes, & tranquillatas Prouincias, in Imperatricem Domum parta trophæa ſecum inferret; & Victricibus armis in hoc auguſto Sacrario ſuſpenſis, Regalem manipulum candidis tænijs in opimam publici otij frugem faſciaret. Extimuerat nimirum Orbis, poſt receptum cœlo Progenitorem Ferdinandum, noui Imperij auſpicia, dum videbare, Auguſtiſſime Cæſar, ex Imperialibus Coronis ferream primum induiſſe, à vincente ferro Imperium auſpicatus; ni Cognatus Rex ferrea auſpicia in aurea vertiſſet, & Septētrionalis Mars, poſt belli fulmina, auream pacem, & lætum hymenæum Orbi bellis feſſo prætonare cæpiſſet, Viennæ Procus, Coloniæ Pacificator. Noua ergò omina, noua auguria Orbi ferimus, dum inter bellorum claſſica Epithalamium apud nouum Imperatorem Magni Regis Pronubi præcinimus, à quo depulſis pro-

cellis differenare iam in optatam malaciam incipiat,& ferrea ſæcula aureſcere. Quid ni hoc iam ſperare liceat? Quando Mars ipſe orbi ad pacem pronubit,& Bellonam apud alterum Martem ambit,non arcum,ſed Organa tractantem, ad præcinendum Cœlo, & Orbi Cæcilianam harmoniam; Quæ cùm per Septentrionem noſtrum dudum ſuaue inſonuiſſet, Martij Regis vota hactenus per orbem vaga,& multis ambita,in primam Orbis Domum pellexit, Cælo, & fatis nouorum ſæculorum texturam ordientibus. Sed præter hæc fauſta Orbis auguria,Tuum hoc etiam,Maxime Imperator, ſempiternum erit decus,quòd tui Imperij prima ſalutatrix fuerit victoria, Salutator Victor Rex,non vota modò,ſed victoriam, de ſe in Victricem ferens Domum, vt plenum Maieſtas Veſtra haberet gloriæ titulum,initio Imperij & hoſtes,& Amicos viciſſe. Obſecundare etiam Rex Frater volebat, non publicis tantùm votis, & augurijs: verùm etiam Tuæ Maieſtatis & Auguſtæ Domus genio, quòd & illi antea prima Hungaricæ, & Bohemicæ Coronæ auſpicia, à victoria, & nuptijs obtigiſſent; & huic tãquam ſupra rerum humanarum ſortem faſtigiatæ,ipſę etiam mortes Imperia,Victorias Connubia parturire ſoleant, vt neque modo aliam iacturam,aliã orbitatem ſentiat, quàm quòd Ferdinandus Pater mortalis eſſe deſierit, quãdo ſtatim Filius pro eo imperare,ac vincere,Filia in Reginam à Magno Rege, & Regno ambiri, ac noui Nepotes ad capeſſenda paterna,auitaq. Sceptra naſci cæperint: tanquam in hac Domo nihil non immortale ſit,præter mortales.Quod ergò Cœlum, quod vota & auguria publica quod Imperij Maieſtatis Veſtræ auſpicia, & Imperatricis huius, ac Noſtræ Regnatricis Domus, æterna fata deſtinabant, id Nos ſolenni iſta Legatione exequimur, vota & preces Sereniſſimi Regis Noſtri in Fraternum Maieſtatis Veſtrę ſinum reuerenter deponentes, quibus Sereniſsimam Principem Cæciliam Renatam, Maieſtatis Veſtræ Sororem,in ſacrum Connubium depoſcit. Conſpira-

ſpirauere diu in hoc Coniugium ſanctiſſima deſtinata cœli, perennia Orbis Sarmatici fata, Procerum Conſilia, Vota Populorum, Religio, Sanguis, Vicinitas, atque vt omnia iſta cõſpirauiſſe, haud ambigendum ſit; ad Vota Regis hic demum ſiſtenda, quæ per Principes Domos magis ambitus, quàm ambiens circumtulit; Ita Noſtri Comitij, atque adeo Regni Vniuerſi Conſilia, & Vota huc incubuiſſe ſatis documẽti eſt, dum petimus, quod ipſi cũ vniuerſa Patrum Curia ſuaſimus. Adeò quid Orbi, quid Imperio Maieſtatis Veſtræ portendat nupturiens in Martia Domo Mars, etſi alienorum ominum incurioſi eſſe vellemus; noſtrorum ſecuri ſumus dum res & exempla pro augurijs habemus, nempe Eliſabethas, Annas, Conſtantias, Auguſta Reginarum noſtrarum Nomina, quas Rex, quas nos ipſi, iſtarum Nuptiarum Auſpices, ac fidas paranymphas habuimus, mox in RENATA Regina nobis renaſcituras. Hinc haud mirum, ſi poſt Reginas, quas Nobis Auſtria dedit, quatuor Regibus Matres (quarum vel ſola VLADISLAI Regis Mater ſatis ad hęc vota inuitamenti haberet) prona in Reginam hinc ambiendam, & Senatus Conſilia, & Ordinum ſtudia, ſecuris omnibus, nec Cœlum fallere poſſe, nec fatorum induſtriam aberrare; quorum hoc perenne quoddam arcanum eſt, in hac Domo alijs Reges, nobis Reginas naſci, vtpotè, quibus non alibi, quàm in liberis pectoribus Reges naſcantur. Quin nec Reginę, niſi quod iam diu in Auguſta hac Domo fauſtiſſimum Reginarum noſtrarum Nidum, Cœlum, & Sæcula poſuiſſent gratæ & mutuæ redhibitioni pro Cymbarca noſtra obſecũdantibus fatis, tanquam vel pro hac ipſa Imperatoris Auſtriaci Matre, iure hinc petamus Regum Noſtrorum Matres, quas lubens & grata dabat hæc Domus nobis, mox etiamnum datura Nouam Nouis SIGISMVNDIS & VLADISLAIS Matrem, quos Filiæ & Sorores Imperatorum nobis parere conſueſſent; datura, inquam, habituris quo, ſi Superis placet, tanti pignoris offi-

cium penſemus. Verùm quæcunque fuere & Sereniſsimo Regi,& Nobis ipſis, præſentis Voti & Conſilij ſuſcipiendi inuitamenta: eadem etiam num ſunt,ſolenni prece & officio maturandi,priuatis fulta Regię Domus rationibus,ob caſum geminatorum nuper funerum,orbitatem, magna Orbis iactura, formidantis. Proprio præterea genio, optimus & ſapientiſſimus Rex, diu ferebatur in cognatam & Maternam Domum, cœli Alumnam,Orbis gemmam, Religionis Altricem,Impietatis Domitricem, glorię Nidum, Virtutis Procreatricem, Cæſarum Matrem, Imperij Conſeruatricem. Proinde ex hac Ille ſibi Thori, Sceptriq. Sociam,Nos Reginam depoſcimus: & à Maieſtate Veſtra, vti Domus & Imperij Præſide, petimus. Annuit his votis, procul dubio,Cælum; annuit è Cœlo FERDINANDVS Pater, quia hic ſuperſtes annuerat; annuit ipſe Orbis, lætus talibus augurijs ſe nouo Imperio, almæ paci, aureo ſæculo, inaugurari. Reliquum eſt, vt cùm Maieſtas quoque Veſtra annuiſſet, ſolennioribus pactis, & ſanctiſſimo fœdere rem velit maturari: ceſſuram, adſpirante Supremo Numine, in Magnum Orbis,& Imperij Chriſtiani emolumentum, Religionis pręſidium, ac vtriuſque Domus decus & ſolatium. Tui verò imprimis, Auguſtiſſime Cæſar, Imperij lætam fauſtitatem, ad quam fortunatiſſimus Rex præit Nuptiali omine, in partem fauſti auſpicij ipſe veniens, ſanguine Frater, fœdere Socius, Connubio Affinis, vt acceſſura magna nouo Imperio fulcra, certiùs omnibus augurijs ſit, cùm accedit Magnus, Potens, Bellicoſus REX, vno Verbo dicam, VLADISLAVS.

ICON

ICON
VOTORVM
SERENISSIMIS SPONSIS
VLADISLAO IV.
POLONIAE ET SVECIAE REGI
INVICTISSIMO
Et
CAECILIAE RENATAE
AVSTRIACAE
FERDINANDI II. IMPERATORIS FILIAE
FOELICISSIMÆ.
In
AVGVSTAS FORTVNATASQVE
NVPTIAS
Offertur & dedicatur
Ab Academia Vilnenſi Societatis IESV.
Anno ſalutis M.DC.XXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ICON VOTORVM.

IAM in eo fortunę gradu vota Polonię conſtiterant, vt diuturnę veterum calamitatum procellę ſub obliuione iacerent;cum lętitię magnitudo in altiſsimam fœlicitatis ęſtimationem peruenit.Parum erat ſucceſsibus perpetuis ſepultas temporum iniurias ſpectare, niſi erecta gaudiorum monumenta ſuſpicerent, quibus fruerentur. Ipſa florentis vbique pacis memoria animos Ciuium conuicit, & tanquam communi auctoramento obligauit, ne in continuę proſperitatis beneficio imperare ſibi admirationis pudorem poſsint. Et verò quòcunque oculi conijciuntur, reperiunt, quod in impatienti hilaritate ſatis intelligere nequeunt niſi attoniti. Quis enim, ex cogitatione paucos annos in plenam omnium hoſtium victoriam tranſcriptos colligente, ad facundiam ſe recipiat factis parem? quis in aſpectu tantorum

Digitized by Google

operum, velut procella ſideris afflatus, non hęreat? Inde eſt, vt alij artes, doctrinam alij in amore tanti beneficij exerceant: nemo voci, gaudio nemo parcat. Quantum quiſque ad res geſtas VLADISLAI Regis, fortunatiſsimi terrarum Pacificatoris, confert ſtudij ac laboris, tantum ſibi famę atque adeo aeternitatis pollicetur. In tam auguſto argumento exiles quoque ingenij vires aetatem ferre poſſunt. Tot decoribus rumor inſuper aſperſit ſummi ſpem Connubij, & ampliſsimae Nexum fortunae. Deus immortalis! quantus ad hanc vocem emicui? Gaudebam debere me fœlicitati Regiae nomen meum, nec fruſtra iam Deſmophilum appellandum, cuius laudationi tam praeclara vincula darentur. Date veniam, quibus cultior ad tantum obſequium animus, aut literae maiores. Non incidi in ſeruilem Alexandri legem, qui celeberrimis naturae aemulis, Apelli & Lyſippo, vultus ſuos dedit exprimendos, caeteris repulſis, ne temeraria manu in venerando opere luderent. Melior eſt Poloniae conditio, cuius liberam facundiam nemo tanquam ſacrilegio à celebrandis ſuis Principibus reiecit. Illi etiam, qui ingenium non conſuluerunt examine, in magnificam materiam non delinquunt audacia ſcribendi: & ſatis venerantur, ſi affectum afferant. Ex quo Aeonopolim attigi, hanc mentem mihi Superi dederunt. Hac perſuaſione ſolabar exiguam virium mearum fiduciam; cùm me prompta animi ſeſe erigentis amœnitas ad diuitem librorum deduxit officinam. Eam ita confluentium tumultus anguſtauerat, vt curioſitatem praetereuntium falli fuiſſet neceſſe, niſi exaratus aureis literis titulus in publicam viam excurrens merces eruditas commendaſſet. Facilè igitur ſpiſſum vulgus, quod praeter admirationem nihil inſtitori adnumerabat, robuſtiſſimo corpore ſubmoui, & ad intimam ſedem, quam nobiliſſimi quique ac doctiſſimi libris atque aere ſignato occupauerant, peruaſi. Locus erat fuſus in ſpatia, velutique in plateolas ſub altum

fornicem

fornicem porrectas diuiſus, è quarum loculamentis codices eminebant. Vt ſuæ oſtentationi præluderet Bibliopola, non patiebatur inane, quod pretio aduenarum exhauſtum, recenti ſupellectile non expleret. Hic me conſpecto, vt erat vir humaniſsimus, copioſum Indicem recognoſcendum porrexit, præfatus illos ſolos apud ſe proſtare libros, qui VLADISLAI Regis res geſtas, aut dedicatione impetratum patrocinium ferrent. Copiam opum ab vno hoc nomine ſibi abundè venire. limen ſuum teri quæſtuoſa veneratione ſemper: non ſtrepere auaris litibus indicationes. pretium non exigi ad ſeueras conſcientiæ leges; ſed relinqui ementium arbitrio, quos pudet in rebus nouis non eſſe liberales. Et quoniam non Academiæ ſolùm domeſticaque ingenia, ſed cultiores omnes Nationes in tantæ Maieſtatis gloria certatim laborant, non deeſſe ſibi vnquam locum, quem nouitas Auctorum non impleat, Lectorum non euacuet beneuolentia: nihil in ſqualidum ſitum iacere: nihil puluere exedi. Laudaui hominem, quòd non minùs mercium elegantiam in familiam Apollinis, quàm in ſubditorum animos Principis reuerentiam ſuam vtilitate diſtribueret. Honeſtiſsimam eſſe negotiationem, in oculos, manus, pectora vendere præſtantiſsimarum rerum memoriam. Prouidum inſuper felicemque appellaui, quòd vulgarem viuendi rationem illuſtri obſequio nobilitaret. Tractaui deinde primas codicum, prout eos ſors manibus inferebat, paginas, & compendio diſcebam, quid tota chartarum moles promitteret. Nihil autem in rebus diuinis humaniſque reperi, quod fauore aut teſtimonio prudentiſsimi Regis ad immortalitatem conſecrari non quæſiuerit. Auctoritate hac ſecuritatem & annos quiſque ſuo ingenio pollicetur. Hic ex arcanis ſupremæ ſapientiæ adytis depromit veritatem: ille virtutum ſimulachra de cælo in exemplum tranſcribit. Pars in abſtruſis naturæ cauſis ſudat: pars legum & ciuilis diſciplinæ ſanctitatem expendit. Tot inſtitu-

tis diſcordes in idem conſpirauere conſilium, ſplendido Principis Patroni nomine æternitatem contra tenebras atque obliuionem obſignare. Lucem hanc omnes inſcriptionibus accenderunt, vt tutiùs ſocco aut cothurno metas poſterorum inſilirent: aut Gracchi tubam, lyram Horatij, claſsicum Maronis imitatione in aures dulciùs inferrent. Fuerunt etiam, qui ſacram purpuram, quam in egregia vitæ tranſigendæ præcepta excuſſerant, in ſinu Regio depoſuerunt, vt gemino fulgore noxiæ caligini occurrerent. Erat & Poëta, qui prolixo operi carmen addiderat, quo connubium in literarum gloriam vocabat.

Inclyta quid querimur ſqualere volumina blattis,
Læſaq; neglecto plectra iacere ſitu?
Non huius dolor eſt æui. reuerentia noſtri
Numinis in Muſas officioſa viget.
Quot grauis vmbra tegit? quanti ſub nomine tanto
Vel decus inueniunt, vel ſine nube diem?
Hic potiore ſonat Parnaſsia flumine ripa,
Accinit & fronti Cynthia ſylua magis.
Pegaſus hic doctis meliorem calcibus amnem
Excutit: hic maior plectra agit arte chorus.
Agnoſco Phœbum. dominas iam porrigit aures
Orbi; ſub tanto iudice terra ſonet.
At tu, quam magno deducunt pectine Gentes,
O quacunque pari fædera ſorte coles,
In ſimiles animi cenſum diſpone fauores:
In ſolio Muſis Lechica Pallas eris.

Ab hoc impetu Poëtico reduxit me ſciẽdi cupiditas in aliam oculorum curam. Ibi ex nouę voluptatis exordio didici me necdum in limine felicitatis Regiæ conſtitiſſe. Adhuc enim varia dicendi genera non delibaueram, quæ Herculis Sar-

matici

matici labores ſuſceperunt. Tota illius ætas in ingenia vtriuſque eloquentiæ ſurrexit, & excepta eſt. Meruit laude recenti poſteris creſcere, ſiue cùm paternas virtutes ſuæ indolis ſpeculo illiſas proxima ſimilitudine redderet: ſiue cùm ſub commiſsis auſpicijs, pulcherrimam militaris formæ imaginem laboribus bellicis componeret. Quot, quantique viri ſtylo ſecuti ſunt pueritiam in ſpem Regnorum creſcentem, adoleſcentiam in Magno Moſchouiæ titulo eductam, iuuentutem in Ottomanicæ Lunę cornibus minuendis occupatam! Pretereo illos, quibus in materiam laudationis vtiliſsima peregrinatio, mores Gentium explorati, Principum conſilia inſpecta placuerunt. Omitto D. CASIMIRI ſanctitatem, publica deuotione, magnificis impenſis, populorum cultu honoratam in panegyrim ab eloquentia abiuiſſe. Quid verò memorem Moſchos ſanguine barbaro merſos, Thraces ferreis minis domitos, Suecos in pacem pretioſo fœdere cadentes, ex calamo in vitam gloriamque Victoris ſurrexiſſe? quid ſeruatos ciues, militares animos poſitos in pręmia, aut ſeruilium armorum duces ſupplicijs in leges adoptatos? quid tot bellis feliciter peractis Trophęa erecta, victorijs data Theatra, triumphis Arcus excitatos? Amant videlicet, amabuntq. ſemper literę optimo Regi nobiliſsimam commendationem in lauro ſolenni, annuloque porrectam rependere. Tot inter opera illuſtris propter argumentum liber de Magnitudine Polona plurimùm placuit, quem Auctor elegantibus ſententijs, tectiſque conſilijs ex praeſentis ętatis genio ad voluptatem omnem inſtruxerat. Primam Imperij infantiam longiſsimo limitum miraculo vltra maria profert, & prodigioſam in ipſis cunabulis molem oſtendit. Si benè computes, reductę in ampla ſuarum anguſtiarum ſpatia Terrae, pluribus nunc ad maieſtatem Regibus abundè ſufficiunt. Proximum creſcentis ętatis progreſſum religione erigit, & quidquid de ſtatura deceſsit, Regio diademate, & armis in vici-

nos

nos fęliciter prolatis explet. Robuſtam deinde iuuentutem pulcherrima ſocietate Lithuaniae, & domeſtica libertate, quaſi corpore, auget. Virilem porrò maturitatem, quod nullis terris conceſſum, quatuor Imperatorum potentia cingit, vt ſuarum virium fidem ab inertia atque ſenio arceat. Et hic eſt quaſi aditus ad VLADISLAVM Regem, quem per barbaras Turcici, Scythici, Moſcouitici Monarchæ ceruices in Germaniae thalamum voto ducit, ratus, id quod eſt verisſimum, faelicitatis eſſe eximiae, Regijs virtutibus Romanum Imperium in affinitatem amicitiamq. conuincere. Tot gratia ſcriptorum, velut aræ Delphicae praeſentia excitatus, progreſſum legendi ſaluberrimo carminis impetu moratus ſum.

Ibis IO, PRINCEPS, libris comitatus, & æuum
Extendes fama. non, ſi inclementia fati
Vexet opus vita, funus ſubrepet in annos.
Non pigra æternas tangent obliuia metas,
Si fortuna velit. Solij reuerentia tanti
Captiuos ducit caſus, fortiſq. laborem
Terruit ambiguum iurata potentia cælo.
O placitum Muſis caput! ò Rex ſole ſub omni
Digne coli! & coleris. iam te per ſtantia Phœbus
Tempora perpetuo meruit deducere cultu:
Tacturaſq. chelym iam puris abluit vndis
Pieridum meliùs dextras; operiq. ſacrauit.
Siue tuis cecidit Thrax, prodiga victima, bellis;
Seu labor æternus Moſci: iam fregit in artem
Docta cohors. ſimul ac tutis Pax riſit in oris,
Quot plauſere manus! longum meliore triumphum
Quot pompa duxere lyræ? en vt ſedula in omnem
Pendet adhuc celeri obſequio facundia nutum!
Quis fauor, ò vates? poſt ſæui fulmina Martis,

Luſtra-

Luſtrataſq. quiete plagas, ſpes altera fulſit
Nobilis, Auſtriacoq. ſalus ſe oſtentat in oſtro.
Surgite. in ingentem veniunt hæc gaudia Regno
Materiam laudum. Si quæ vſquam Delia laurus
Fatidicis Numen folijs diſpenſat, inumbret
Feſtiuos thalami poſtes. hic barbita dulci
Euulgent numero, quidquid ſecreta remoto
Fata ſinu clauſere! iuuat præſagia primis
Addere promiſsis, vbi gloria neſcit in vnum
Se ſtipare gradum. manuum iungam ipſe canoram,
Si fas, lætitiam, & geniales ſupplice tædas
Carmine ſuccendam, quanquam mihi copia deſit,
Audebo. poſſunt miſeri diteſcere votis.

Et iam vacabat oculis in partes Bibliothecę excurrere, luſtrareque tabulas, quas æris inciſi forma caſtris atque exercitibus animauerat. Peregrinus artifex manu in Polonam ætatis noſtræ hiſtoriam luſerat tanta ſolertia, vt locus omnis cum cœlo conueniret. In vrbibus pericula, iræ in vultibus legebantur tam viua imagine, vt operis commendatiſsimi decus extinguerent actionum ſimulachra. Hic Caracaſsius Baſſa, cùm timeret, ne de Tyra vicino ſuum, aut cognatum ſanguinem hauriret, in Polonum pernicioſam ſitim, & ſacramentum differendi interim cibi ferebat: ibi Oriens in pudorem ex irrito conatu actus, vanæ ſpei inſaniam in ſupremo Capite laqueo compeſcebat, dum Oſmanum noſtræ felicitati immolaret. Excitauerat & propter Smolenſcum iacentia in orbem caſtra, quæ in ęternitatis opinionem, Moſcouię totius viribus erecta, vno pœnè die manus Regia demolita eſt. Rigebant montes hinc prodigio furentium baliſtarum, & denſo flammarum volumine: inde ſiccorum ex frigore ac fame corporum in ſuum fumum caſibus. Ducebat & Sehinum miſericordia ad ſuos, ex deſperatione triſtem, & in bello obli-

tum

tum iraſci, vt faſces, quos infra ſpem geſſerat, patientia atque exitio ſuo expiaret. Tantum autem ignium atque cruoris in chartam ars contulerat, vt ſimillima vero coloris mendacia in metum acciperem. Malè fortis in contumaciam animi vultus fugerat ab horribili ſpectaculo: cùm animaduerti à mediaſtino Bibliopolę lætitiam ſuſurro in aurem inſtillari. plauſu illam expreſſerat imprimis: deinde me quoque in hilaritatis ſocietatem vocauit impetu magis, quàm conſilio. Veniſſe ſibi mari pacato merces: ſed publicam earum lucem in tempus commodius differendam: aliquas tamen, quarum pulchritudo in fundo quærenda non eſſet, priuatis oculis prelibari poſſe. Domum igitur ipſius interiorem flexu viæ longioris ſubij, quo ille recto angiportu delatus, figilli ac ſeræ fidem iam reſoluebat. Commodè ſub operculo, mollibus intectę velis tres tabulę expectabant manum modeſtiſſimam, quę leuibus digitis exiguas marginum rugas mulceret. Primę ſpatium capax, occupauerat ſculptor virente Serto, cuius mediam ſedem in æquales lineę ductu partes diuiſam, FERDINANDI II. Imperatoris & VLADISLAI IV. Polonorum Regis factis ornauerat. Vtrobique pari numero ſtabant iuxta ſolia imagines coronatę, in obſequium inuitum proteruis vultibus cadentes. Vtrobique victrix maieſtas fractos hoſtium faſces felicibus palmis ſanabat, & punitę indignationi vltrò proiectis honoribus medebatur. Vtrobique ex ſerenis nubibus ſplendor copioſè erumpebat: niſi quòd Pax integrà ſerenitate videbatur Sarmatiam irradiaſſe, viuentibus adhuc in Germania nebulis, quas bellicoſa aſpernantium ſupercilia faſtidio ſubiectionis fouebant. Conſilium erat Auctoris, hoc ingenio in Nuptiale Sertũ CAECILIAE Auſtriacę colligere decus omne, quod magni duo Orbis Heroes, Pater & Sponſus ſibi in gloriam condiderunt. Ea ſcilicet eſt Prolis & Coniugis ſors potiſsima, ferre in connubium ſumma & inuenire. alterum lex naturę tribuit: alterum fœ-

deris

Digitized by Google

deris maritalis communio. Quare ne lateret propoſitum, aureis torquibus ſolia colligauit, & Serti latera inſtruxit Amphione ac Orpheo, vt in mundum muliebrem cantu adducerent, quidquid potens duarum ſtirpium felicitas ſortiret in mundo geſsit. Silentis in pictis fidibus modulationis vocem ſupplebant adſcripti verſus, & pro auribus oculos ad eruditum ſonum exigebant.

Qua vis concilio iubet Deorum
Rurſus Pierios dicare neruos?
An rurſus reſona blanditijs lyra
Septenis veniet liminibus lapis,
Et ſequi marmor volet innocantis
Barbita plectri?
O qua Numina! FERDINANDVS alta
Hinc nixus radios vibrat curuli:
Illinc Sarmatico fortis acinace
VLADISLAVS adhuc ſidera colligit,
Aut ſuper Patis ſolio futura
Fabricat aſtra.
Illi iam capitis cadunt minores
Quondam terribiles in arma Manes.
Dum toruas tremulis vultibus aſpirant
Formas, in Stygijs ſe prope gaudia
Explicant damnis, perijſſe tanta
Robore dextra.
Hunc ferri immemores colunt Gigantes,
Putri in vulnera promicante luce.
Triſtet hos auido iam pudor adderet
Cocyto inferias, ni diuturnior
Sub iugo pœna obſequium tueri
Fœdere mallet.

Vtrin-

Vtrinque in niueos reſicta mores
Aetas auricomis vibrat capillis.
Hinc atque hinc ſtabili ſolicitum aſpici
Liuorem remouet Gloria fulgure,
Et ſuper firmas adamante ſignat
Facta columnas.
Audimur. decorā vtriuſque metis
Excedunt geminis, migratque in vnum
Laus omnis cumulum. pergite, pergite
Vnum ambire ſinum. nobile erit locus
Vinculum Mundi, cui ſe laborum
Præmia fundunt.

Inde acceſſit animo illecebra quęrendi, quid altera pagina intimo ſinu celaret. Aperta exhibuit Auſtriacas Polonię Reginas, Eliſabetham Caſimiri III., Eliſabetham alteram & Catharinam Sigiſmundi Auguſti, Annam & Conſtantiam Sigiſmudi III. ſublimibus euectas ſedibus, ſed ea vultus humaniſsimi inclinatione, quaſi nouam Nuptam ad conſortium paris dignitatis inuitarent. Stabat autem ad ripam fluminis magnificus purpurei throni honor, in quem Vandalus ad inſtar Numinis marini alga virente exultus, nauigantem Auſtriadem deuehebat. Amęna aquarum ſeueritas ſenſit Dominę veſtigia, & tempeſtates ſonoras in ſalutationis indicium depoſuit. Indulſit & hoſpitibus Nymphis ſerenitatem, quę ab Oceano Balticoque freto ſquamoſis vectę feris, pretioſam ſeruitutem in ornatum vouebant, adſcripto Hymenęo.

Ergone claudet nuptialis in ſolis
Se pompa ripis? ſicca Numinum turba,
Adde liquidis tuas iocis voluptates,
Lepidiſque feſtos admoue ſales vndis,
Et gaudiorum iura profer in planum.

Hic

Hic tot tropæis Lechiæ inclytus Mauors,
Hæc tot potentum Nympha Cæſarum ſanguis,
Tota coli meretur arte naturæ,
Pontiq. tellurisq. plauſibus duci,
Cœlique ſiderumq; deuehi tædis.
Fas nulli abeſſe. nec tibi Deum proles,
Hymen fidelis præſes, o Hymen fælix.
En blandiuntur mobiles rati fluctus,
Et mille lætam baſijs premunt proram,
Et mille euntem luſibus mouent puppim,
Et mille motos brachijs tenent remos.
Illi carinam, dulce pondus, attollunt:
Hi tranſilire marginem impetu læto,
Gratoſque lambere Hoſpitis pedes gaudent.
Pars diffluentes criniuntur in gyros,
Oculoſq. denſo vorticum globo torquent,
Si quis profundo gaudium inſerat ſenſus.
Pars nobili ſacrum exhibent vitro vultum,
Geminantque, triplicantq. imaginem impune.
Hinc delicatus verberat fragor littus,
Et muſicos in arua fundit aſſultus:
Illinc ſtrepentes lenè Eteſias pulchro
Iuuat cachinno, & æmulatur impulſu.
O blanda tempeſtas! amor procellarum!
Fluitantium depicta ſiderum ſedes!
Serena ventorum domus! forum cœli!
Ades ò Hymen fidelis, ò Hymen fœlix,
Sis delicatus imperator vndarum,
Tuoſque miſce fluctuum choro ſaltus:
Proh quanta ſquamoſi cohors gregis mite
Ridentis vndæ regnum inambulat paſſu!
Quot belluoſis alueus placet monſtris!
Dum labili pinnas vocat vado in plauſum

Madidamq. lubrica citat fuga lucem,
Vitij integer, ſuiq. conſcius Veri.
Quiſquamne proni fluminis piger ciuis
Imum quieto ſugat otio fundum
In tot vocatus obuia obſequi iura?
Non vda quiuis prata pingat excurſu,
Tantoque ſub iudice leues probet greſſus?
Hic limpidarum patria eſt venuſtatum,
Licentioris dulcis agminis ludus,
Latum ſilentij ſtrepentis arcanum.
Ades ò Hymen fidelis, ò Hymen felix,
Fluidumq. comple plauſibus pauimentum,
Et vuidarum in aduenis platearum
Sis nuptiarum amabilis ſalutator.
His adſtupeſcis? quidquid in decus profert
Formoſa lympharum ſeges, fluenteſq.
Stabili valore ſponte germinant campi,
Iſtis venire gaudijs petunt vltrò.
Hic & opulenta rariore condenſat
Cryſtalla ſplendore, & rubro leuat molles
Lætitia baccas de profundo, & arguta
Pretium grauatis excutit locis concha.
Expergefacta de ſinu euolutorum
Vis vnionum hic proximas manus quærit,
In mobiles, nullo iubente, ceſſura
Rerum figuras. gurgiti innatat laſæ
Diffuſa vita purpuræ. affluunt laues
Rubente tecti viminis croco faſces,
Quos aura ſiccior reducit in gemmas.
Iam Nereus lapidum inficit notas auro,
Saxi virentes implet igne ſplendores,
Variæ ſerenas iride imprimit rupes,
Maculatq. pulchris frigidas petras aſtris.

Ades

Ades ò Hymen fidelis, ò Hymen felix,
Textumque Sponſis necte, quod fuget Parcas,
Victore ſtirpes quod duas liget nodo,
Et inſolentes faſcini domet vires,
Nouaq. longos proroget dies luce.
Ades ò Hymen: lætamque dexteram tantis
Accinge donis. adiuua fauorem Orbis.
Natura Sponſum tota, tota ſeruare
Natura Sponſam poſtulat, poteſt, debet.

Ad tertium progreſſa inuolucrum impetu concordi deſideria recluſerunt ſplendorem, qualem gemina ſidera vibrant, quoties optatis facibus pauores nautarum detergunt. Sponſi erant in integrum corpus penicillo fuſi, tam liberali & in omen formata ſpecie, vt beati vultus ſuam, Regniq. fortunam arcano pręſagio faterentur. Nexus perpetui indicia, Annulus & Corona paribus ſuſtinebantur dexteris, & honoris fideique vincula differebant: Caligaui ad felicem admittentium leges coniugales purpuram PRINCIPVM, & amicè ſuaſi, tam præclaram iunctæ Maieſtatis effigiem aſſereret in duraturum literarię officinæ ornamentum. Habui præterea gratias humanitati, quæ me tot ſpectaculis ad nuptiarum venerationem promouiſſet: ac vt diſceret ſperare à me in ſuas occupationes prouentum, elogium ſubitò effudi, quod aureis literis librarius imagini ſuppoſuit.

Vultibus his pulchras ſubijt concordia leges.
His frontis radijs, & gratia luce genarum
Conciliata ſtetit. ſi humanum credis honorem,
Falleris. æthereæ ſunt hæc ſimulachra decoris.
Exprimit ars animi dotes: ſed longiùs infra,
Tanta licet, ceſſit. fortuna extinxit in ære,
Quidquid mortali non fas contingere cenſu.

Et tamen hic coniuncta nitent, diuiſa beatos
Quæ faciunt: ò par ſociato nobile cultu!
Semper erit, quæ te pia dextera nectet in auro.
Iam video hunc Superos ſibi ſuſpirare laborem.

Plenus lætitiæ redibam; cùm animi ſenſus in rerum conſpectarum memoriam compoſitus, ſolicita cogitatione proclamauit, fortunatas eſſe terras, quibus Regum connubia non in amicitias tantùm, ſed & in virtutis inſtrumenta veniunt. Nam & debilior ſexus ex throno egregia vitæ exempla deſiderat. Quæcunque inde venit pia permotio, plurimùm valet tacita cohortandi poteſtatę, ne mollioris naturæ imbecillitas otio fæces colligat vitiorum. Auctoritatem opere tenus ſignificatam ſequitur imitandi facilitas. ad graue modeſtiæ ſpecimen conſurgunt in cæteris deſideria: pudetque non ſequi, quod in pietate ſceptri refulſit. Vis hæc recondita offert ſemper propitiam manum, quę ad cultum honeſtatis ſubleuet, damnetq. mores, qui ſuo vero non florent. Amicitias tamen meritò quiſque in ingenti beneficio reponat. Veniunt enim Regna quoque in fædus maritale, & ſuorum connubio Principum Regnis nubunt. Res ergo ſolet eſſe ad inſtar repudij, eundem illuſtrem ſanguinem foris armis laceſſere, qui domi veneratione colitur. Et quoniā publicis quandoque damnis ad lites cognatas duci neceſſe eſt: prima familiaritas ſenſim bella mulcet, & deterſa vlciſcendi crudelitate ſolam in ira relinquit ęquitatem. Sæpius tamen mitiores affectus ſerie iuncti thalamis hęrent, & omnem iniurię imaginem obſeruantia mitigant. Gaudent potius tertium in belli vices trahere, quàm inter ſe vitio collidi. Ex affinitate enim ad armorum ſocietatem, & ſpem ſubſidiorum velut dote publica & nuptiali dono itur. Vtramque coniunctionis gratiam incorrupta rerum teſtis ętas omnis in Auſtriaca ſtirpe agnoſcit. Quæ vnquam Virgo ab illius inſtitutione miſſa in Vxoris

nomen,

nomen, vt ſpecioſas naturæ atque fortunæ opes animi diuitijs non vinceret? quæ in diuerſas purpuras ſimili non creuit virtutum propoſito? Vt illæ parem vitæ ſanctiſſimæ tenorem in ſolijs ſolo numero diſcernunt! Vt à nutu Principum maritorum obſequij gloriam ſtudioſè quærunt, & in vtramque cum illis ſortem gaudio aut ſolatijs ſecedunt anxiè! Docuit iam exemplis firmata experientia hæreditariam illis eſſe virtutem: & diſcrimen non noſſe res alibi diuerſiſsimas, benè inſtitui & feliciter naſci. De potentia, in quam iure affinitatis Auſtriacæ venitur, ſuperflua eſt quæſtio. Vno orbe non includitur tanti nominis magnitudo. Eò etiam peruenit, vbi ritus humani deficiunt. Vltimi terrarum receſſus, qui ſolem non admittunt, in huius familiæ veneratione fontem atque originem lucis habent, & ſui cœli triſtitiam exhilarant. Illi igitur coniungi, quid aliud eſt, quàm in latiſsimos orbis fines ſuam immittere fortunam? Poſtquam hæc mecum non ſine intima ſuauitate exegi, cœpi indulgere pietati meæ, & in proximo fano recordationem beneficij cogniti reſumere. Ibi expoſita meorum licentia votorum, tempus reliquum accepi in oculorum libertatem, auſus ſtudioſa contemplatione aras atque parietes circumire. Cogitationem audaciæ huius deprehendit Aenogamus vir ſolertiſſimus. Erat ille ab antiquo notus; ſed ætas lineamenta confuderat, vt primo intuitu non liceret faciem veteri notitia occupare. Admiratio ſenſim à vultu ſcenam familiaritati remouit, & in amplexus mutuos, quæſtionumque blanditias intulit. Tum ille errores meos per capaciſſimam ædem regere, & munificentiam in Numinis atque Cœlitum cultum effuſam piæ curioſitati exhibere. Erat ad delubri latus affixa pulcherrima ædes, non magis peregrini marmoris artiſq. pretio, quàm nobiliſſimo aræ miraculo celebris. Multùm ibi melioris metalli deuotio in ſtatuas, ingenij in ordinem, laboris in imitationem naturæ expendit. Totum autem illud ſacrum tribunal ſanctita-

tem aſpirabat præſentibus. diligenter inſpectæ imagines propè vocis dignationem attonitis mittere videbantur. Potiſſimum ſedis locum pictura fecit diuorum efformatione ſpectabilem. Hinc Caſimirus Iagelloniades, & Leopoldus Auſtrius: inde beata Sueticæ familię fęcunditas, Birgitta & Catharina Poloniam precibus tuebantur. Quippe Reſpublica electione Regum, & Auſtriacis connubijs externa hęc ſibi patrocinia adoptauit. Pendebant in extenſo argenti teretis filo pretioſa ſupplicum vota, & pœnè integra felicitatis Polonę in donarijs hiſtoria. Gaudent enim ibi Duces ſimplicitate lachrymarum, ſacriſque promiſsis fortunam Regni emere; & cùm exorauerint, auditas preces ſculpta deuotione in laminis confiteri. Plurima ſponte prę̨terij, antequam copia laſſitudine ſubmoueret ſingula tentantem: & ad carmen deſciui, cuius pridem deſcripti literas defluentes, quòd in præſens tempus rurſus valeret, recentis auri fulgor reparauerat.

An veniant ſacro in connubia fœdere Cœli,
Aut terras Diuis delecta potentia Regum
Inſtruat, Ara docet: tibi fortis Suecia tantum,
Et tibi debemus, felix ô Auſtria, munus.
Aut das, aut gignis: ſterili cunabula cœlo
Non veniunt, non ſceptra tibi manet inſuper altos
Longior ordo polos, vt magnis impleat aſtris.
Hic poſitis reſide ſecura Polonia votis.
Hic ſæuas pendente vices expugnet in auro
Sedulus in lachrymas vultus. tot ſtantia dextris
Fortunæ vexilla tuæ quis deprimat horror?
Quæ funeſta lues? Superi ne ponite primam
Imperij curam. magis hæc pia limina veſtrum
En iterum poſcunt ſtudium, cùm Suecia rurſus.
Atque alio rurſus vos alligat Auſtria nexu.

Ne

Ne deducendi officium vno ſpatio anguſtaret meus ille nomenclator, quanquam negotia alia auocabant, commercium viæ vlterioris in beneuolentię munus obtulit. Multa interim de felicibus Regum Polonię matrimonijs, multa de Reginarũ ſanctitate diſſeruit. Dambroucam Miecislai Sarmatis religionem intuliſſe: Cunegundem Boleslai Pudici, quam ob innocentiam morum atque integritatem, vota piorum in Diuos referri poſcunt: Heduigim Vladislai Iagellonis in tumulo miraculis fulſiſſe: Barbaram Tranſyluanam Sigiſmundi I. ſua pietate in victoriam Orſenſem dediſſe Moſcos. In hac colloquiorum ſuauitate flexus diei in veſperam nos deprehendit: ſed ad lucem amici pectoris pœnè imminere tenebras non nouerám. Tum primùm obſcuriſsimam noctem anticipaui; cùm me humaniſſima diſceſsione in triſtitiam depoſuit. Immiſcui me igitur turbę, quę ſedula expectatione in artificioſos concubię noctis ſplendores pendebat. Opportunè nebularum volumina cœlum ſubtexuerant; cùm ignes in aquis repentè emicuerunt. Aſſeruiſſet quiſpiam ſiderum imagines lętiùs in flumine reddi: niſi denſior caligo ſtellis ſubdita, & ingentes piſcium formę vetuiſſent. Regia ibi ſcapha in ſtabilem vſum inſtructa ceſſerat octo remigibus, quorum quiſque marinorum Heroum ſpeciem vultu ad antiquitatis leges formato referebat. Propellabatur autem contis, qui ſub aquis fortiùs ardebant, fruſtra liquida vndarum mole aduersùs igneos remos furente. Ei occurrebat Neptunus piſtrice vectus, & Amphitrite delphino inſidens, deducentibus ſua Numina monſtris plurimis, quæ flammam de faucibus fundebant. Eò cum perueniſſent, tridentes ſuos in ſolia regalia, quæ in nauicula eminebant, depoſuerunt, quaſi Connubio imperium maris ominarentur, & ſubmitterent. Haud procul à puppi verſus erant auro notati, quos tranſcriptos ad nocturnos aquarum radios legi.

Quam te, parua ratis, memorem, cui fœdere pulchram
Auſtriaco lucem Principis vmbra facit?
Seu tibi blandiloquis dabitur colludere lymphis,
Et celeri tremulos reddere puppe ſonos:
Seu cæli fremitus, motasq. ſtupore procellas
Remis depoſitum forte docere tuum:
Qualem te viridi ſpectabit lumine Nereus!
Qualem implexa algis cærula turba ſuis!
Te mallet validis Mauors formoſus in armis,
Oceani quoties claſſe fatigat aquas
Sperneret auratam præ te Cythereia concham,
Dum vehit in feſtos præmia læta toros.
Rumpe vndas fælix: tecum, pia ſidera, fratres;
Aptaq. ſinceris ſolibus aura comes.
Nequicquam tabulas velletis flumine Venti;
Fortunam Lechiæ deuehit iſta ratis.

In aërem deinde ignium ludum ſolertia tranſtulit, vbi horror ipſe triſtium vmbrarum cùm ardentium ingenio machinarum pelleretur, fuuit ſpectandi dulcedinem. Dum volaticæ flammæ anhelo motu ad celeritatem ſe corrigerent: faces ſeſe exciperent coëunte in fragorem amplexu: igneæ volucres auras ſtridentibus alis incenderent, recedendi pigritiã imponebant. Cuius enim obtutus laſſos non erigerent rei nouitate geminæ Lunæ, dimidio tantum lumine idcircò inflammatæ, vt leni concurſu in vnum circulum plenum conſentirent? quem non detineret rotunda ignium moles in ſpeciem Solis radians, quæ aliam paris luminis velut repercuſſam ex aduerſo excitauit? Gaudebat dies in talem noctem mori, & nox ſubductis cœli ſpeculis tam commodæ caligini ſecedere. Hæc tenebrarum miracula non ignobilis Poeta futura didicerat: & interpretem ſe inuento illi dedit.

Qua

Quæ monſtra! forti detrahit aurea
Quiſquamne liuor carmine ſidera?
Calone direptas propinquum
Spargit honor per inane flammas?
An rurſus acri Theſſala prævalent
Certare rhombo brachia! vel ſuper
Caliginoſam ſponte nubem
Ætherei micuere vultus?
An me remotis altior impetus
Inuexit oris, & dedit igneis
Refixa metis aſtra in omen
Sarmaticis recitare terris?
O magna pulchri patria ludicri!
O & iocorum mobilium decus!
Quot alta denſæ noctis vmbra
Ambiguis radiat fauillis!
Hic excitata deſuper æmulus
Sibi explicat ſe Phœbus imagine;
Gyroque gyrum, mole molem,
Luce pari iubet ire lucem.
Hic duplicatis Cynthia brachijs,
Et diſſipatis vultibus obuia
Integrat ora, & explet orbem
Connubio radiorum amico.
Hic pænè telis ſub rutilantibus
Ardent tenebræ. hic fulgura lucidis
Latum annuunt minis fragorem?
Sed facilis ſequitur micantem
Plauſus tumultum. nubibus aſſonant
Valles triumphum, flumina vallibus:
Io loquaces ter tenebræ,
Et recinunt ter Io procellæ.
Benè ominatis militat ignibus

In ve-

In veſtra Mundus fœdera, PRINCIPES.
Hæc ſiderum leuis volantum
Scena facit geniale noſtris
Votis theatrum. Iam video aureo
Totam ligari lumine Lechiam,
Legeſq. Pacemq. & perennes
In radijs fluitare honores.
Nec torua latis inclytus abnuit
Ornare ſplendor prælia vinculis.
Et arma per tumultuoſas
Ducta acies ſpecioſa apricum
Lucis merentur. ſed precioſior
Se infudit ardor moribus optimis,
Maliq. prauas vrit æui
Inſidias meliore cultu.
En iam Serenum in culmine Patriæ
Amat videri, iam bona Fauſtitas
Tranquilla ſcribit æminenti
Sæcla die, placidoq. tempus
Inaurat æſtu cætera poſteris
Vulgabit ætas. Parcò latentia
Proferre ab vrnis fata, & imas
Parco manu temerare ſortes.
Se ſponte prodet gloria duplici
Vadens in æuum lampade. neſciet
Iuncto latere Luna vultu, &
Sol gemina facie decorus.

Poſtquam diluxit, rurſus fanum repetij ea ſpe, vt in Aenogami primam incurrerem familiaritatem. Prorſus verò ita accidit. Ego itaque ad auſpicia veteris amicitiæ dolorem heſternum depoſui: ille leni excuſatione deterſit; &,vt noua inſuper conſuetudine repararet congreſſum, in amplam do-

mum

mum deduxit. Eiuſmodi erat, vt in limine adhuc conſtitutus, admiſſum me in quoddam æternitatis diuerſorium dicerem. Tot enim in ea ſolidi artificum labores, tam luculenta varietas animum perculerat, vt, cui primam admirationem ſtabiliùs crederem, prorſus neſcirem. Plurimæ iam perfectæ operę in ſtragulatis iacebant menſis, quarum pulchritudinem velis tectam fas non erat manibus tractare. Fauor tamen humaniſsimæ loci illius familiæ, quæ gaudebat ſuæ manus miracula in laudatione eſſe, accommodata in Nuptialem pompam gemina protulit ornamenta, Trabeam & Stolam muliebrem. Vtraque argento textili candidà inſertis auri maculis, (quod in niuibus pruina facit) velut ſideribus radiabat. Illam aureæ Aquilæ, velut pendentibus à roſtro annulis inter ſe conuenirent, adornabant: hæc florum varietate effigiata Manipulos in præcipua laude cenſebat, quos auro laboratæ tres Alaudæ (vetus Auſtriacę domus Inſigne) ludentibus quaſi mulcebant alis. Cùm hæc impenſiùs miraremur, blandiſsima vox aures tetigit, quam aptiſsimo ioco, neſcio quis, Charitum eſſe dixit. Progreſsi enim in atrium ſecretius, conſpeximus tres emendatioris vultus puellas, quæ Auſtriacam Faſciam tendiculis diductam figurabant. Dum eximia Regiæ ſtirpis facinora acu effingerent, fila velut ad operis celeritatem prouocabant cantu molliſſimo.

Feſtiuos citharis grauis
Plauſus Aura vehit. pergite. quid pigro
Solem vendimus otio,
Nec ſegnes manibus deripimus moras?
O promiſſa polo! ò data
Lechis Auſtriaci Faſcia ſtemmatis!
Hic ſolers melius ſuam
Quanquam Pallas acum carmine duceret,

Aut

Aut poſſet ſpecioſiùs
In vultus Phrygijs ire laboribus?
Et nos par agitat fauor
Argutas ad opus tollere dexteras?
Ite ò fila leui manu,
Et, quæ ferri acies vulnera fecerit,
Doctis ſtringite nexibus.
Hic morſum exigui ſanet acinacis
Picti gloria ſtaminis.
Hic ars ſutilibus nota coloribus
Vtrinq. impleat oſtia,
Et penſet rigidum pignore tranſitum?
Auro hic ſidera fulgurent,
Oſtro flamma vibret, nubila ventilet
Admiſſæ vmbra comes niui,
Telluris tenebras præcipitet viror,
Et diluta nigredine
Mentitis tumeant flumina fluctibus,
Circumſtetq. ſuum potens
Natura obſequio diuite PRINCIPEM.
Et quodnam illa tibi decus,
LADISLAE, *neget? qua memores tui*
Non ducat vice lineas,
Vt iuret varijs ſeruitium notis?
En iam ſponte leuem inſilit
Mucronem Artificis purpureus lapis,
Natiuaque petit face
Inflamare rubri fulmina prælij, &
Moſcorum arua cadauerum
Sicci diluuio tingere ſanguinis.
Adrepunt quoque candidæ
Gemmarum vltrò niues, & gelido aſperos
Pallore inficiunt Getas.

Hic

Hic pulcher viridi vultus iaſpide;
Non vrgente manu, rogat
Pacem perſpicua pingere in Iride.
Hic optant ſibi ſaxeæ
Picturam variato ordine lampades;
Et ne fors careant loco,
Dextras ſideribus conciliant ſuis.
O virtus IAGELONIA!
O Magna AVSTRIACI gloria vinculi!
Sculpant, queis melior vigor,
Aeterna eximijs marmora præmijs;
Aduerſus mala temporum
Virtutes melius Faſcia ſubligat.

Pererratis pluribus vicis, qui in ſpatioſa erant ſecti ędificia, in vna domo oppidum eſſe ſuſpicabar. Hic vultus aurei fundebantur, vt in miſsilem cederent pluuiam liberalitati: ibi marmora pertinacibus defricabantur manibus, vt duraturam reciperent geſtorum memoriam. Quid referam Indicam ſolertiam, quæ verſicolores auium plumas in rerum ſimulachra componebat? quid veris artifices, in quorum diligentia ſtabilis florum pulchritudo contra omnes cœli iniurias pullulabat? quid ceras, quibus pręteritorum ſucceſſuum funera redibant in imagine ad gaudium? Curioſa hęc varietas fecit, vt in altiora domus ſpatia peruenirem ſolus, & in tot anfractibus cogerer de Ariadnæ filo ſolicitus cogitare. Sed in area non otioſa, & admiratoribus plena non erat arduum reperire latus, cui hęrerem. Dum interea aliquem ex indole ſeria, meditabundoque inceſſu literatum agnoſcerem, ad oſtium palatij ſubſtiti, cuius laureatis poſtibus ſublimis imminebat Glorię imago. Nubentium ſtemmata prę pectore habebat. Eius autem dexterę Apollo citharam, Mercurius virgam auream inſerebat; & matura immortalis nominis promiſsione ſubiecta tabula his verſibus loquebatur.

Macte

Macte nouis Honor auſpicijs. connubia mutis
Non tibi prouenient titulis. ſine luce iugales
Felix Sarmatiæ accendit nunquam Auſtria tædas,
Aut modico annorum conſtrinxit gaudia nodo.
Mutua longæuo durant ſuffragia nexu
Per caſus, fragileſq. moras; ſtabilemque pudicus
Aetatem moderatur amor. ſtent otia quamuis
Pigra ſitu, & toruis contracta ſilentia rugis,
Aut preſsis Liuor digitis curua vrgeat ora,
Quid facient? non ſi tacitis inſtructa procellis
Caligo pugnet, Stygiaſque exporrigat Vmbras,
Poſsit in æternam diſpendia promere famam.
Hic Phœbæa agiles tactis lyra ſaucia neruis
Deducit cum Sole ſonos: hic aurea maſtas
Virga premit tenebras, viciniſque obuia fatis
In laudes ramis crepitantibus excitat Aeuum.

Interea iam retrò idem agebat vir eruditiſsimus, quem meę familiaritati fortuna deſignauerat. In officiorum imprimis notitiam, nominum deinde peruenimus. Theonymphus vocabatur. Hic me à veſtibulo in Aulam duxit, quę celeberrima pictorum opera recipiebat, vt commodiùs in vſum ſimul promerentur. Tam erant exacta, vt nihil Apelli deberent. Primę tabulę facies erat eiuſmodi. Manus geminę, quarum altera laurum, myrtum altera pollice ſibi alligauerat, ex aureis totidem coronis ita prodibant, vt expanſis in planum digitis ſibi occurrerent. Infernè Gratię verecundis vultibus, & fluentium per humeros comarum negligentia formoſiores vincula nectebant; cęterùm diuerſis affectibus & opere diſsimili. Nam Euphroſine hilaritatis mater, à cuius oculis tempeſtates atque curę omnes in ſerenitatem abire creduntur, manus Gordio nodo adſtringebat, compluribus filis in ſemetipſa adeo implicatis, vt pręualidi ſerici in varios flexus diſtra-

diſtractus ordo originem exitumque celaret. Hac operis molitione vitę hilaris conſtantiam firmare videbatur; quod literis in textum inexplicabilem innexis prodebat. MORS SOLA RESOLVET. Thalia verò laurum & myrtum Herculeo coniungebat nexu. Induſtria in formandis impedimentis occupata ſpondebat fore tenaciſsimam indaginem, quę tentantis audaciam, quò vehementiùs niteretur, in laqueos arctiores prouocaret. Vtrobique in frondibus inſcriptio virebat ſuę ęternitatis teſtis. NEC FAS EST, NEC POSSE DATVR. Aglaia porrò ſolaribus radijs exculta propè ſpectatores ab intuitu reijciebat ſplendore, dum diademata tranſmiſsis torquibus aureis copularet. Vinculorum compoſitio erat in ſpeciem ſimplex; ſed ad ſagacium oculorum captiuitatem efficax. Vicina nodo verba erant. ATTENTARE VETO. Hanc mutam imaginis eruditionem Poëta explicuit, volebatque videri blando verſu Anacreon ſurrexiſſe ad Apellęas picturę delicias.

Charites poli inquilinæ,
Hilares chori miniſtræ,
Ducesque Nuptiarum;
Agite, & ligata Nodum,
Cui abdito Voluptas
Intexta ſit labore,
Et implicata pulchrò
Honore gaudiorum
Salusque, Sanitasq.
Longoque Vitæ flexu.
Laudabo vim ſagacis
Induſtriæ potentem,
Si Nexus hic amanos
Aduinciat capaci
Soles ſinu, grauesque

Niueo

Niueo dies lapillo,
Qui fortis inſolentes
Reuerberent procellas:
Si ſeruet inter altos
Leuium globos plicarum
Annos beatiores,
Decusq. nobilisq.
Arcana Fauſtitatis:
Si ſtringat impedito
Errore vinculorum
Fortunæ onus, rotæquè
Volubiles recurſus:
Ne, quos ſemel beauit,
Mærore vertat vllo:
Nec amplius iocoſos
Vultu aſperet proteruo
Riſus Fauoniorum,
Eteſiasq. longa
In pace ludibundas.
Quò ſtrictiùs recondet
Filorum amicus error,
Puriſsimas patenti
Illecebras fauore:
Quò laxiùs Serenum
Per ſingulas nitebit
Glomi vias reuinctum:
Hoc ampliùs placebit
Manuum eruditus aſtus,
Minùsque longioris
Spes diſplicebit artis.
Hoc inſuper repoſco;
Agite & ligate Nodum,
Quem luce multiformes

Varient

Varient ſua colores:
Non pallidi, nigriuè,
(Nam pallidi quid ad me?
Sed & nigri quid ad vos?)
Sed aurei, & virentes,
Rubeique, candidiq.
Qui Iaſpidis decori,
Et floridis Smaragdis
Carbunculisq. certent.
Liget iſte Regna Nodus,
Animoſque Nationum,
Illuſtriumq. corda
Sibi Coniugum maritet.
Ferat iſte Nexus oris
Nouum iubar Polonis:
Ferat iſte Nexus Orbi
In literas laborem:
Ferat iſte Nexus Aſtris
Munuſq. gloriamq.
Per multa cur fatigor?
Dicatur iſte Nodus
Theſaurus Vniuerſi.

Ad alteram me tabulam inuitauit titulus promiſſis venturæ felicitatis ſpecioſus: SPES IMMINET ORBI. Saracenos atque Suecos Polonæ fæcunditati promittebant liberrimæ effigies. A dextris Luna exeſa luce tenuis cornua ſuſtulit. Eius medium Aquila Imperialis & Polona nido gladioque inſedit, pulcherrimum pomum vnguibus pullorum carpendum porrigens. Hinc & inde Nationes mirantur conceſſum Volucribus, poſt Solis radios aſpectu victos, Lunam inſilire, & ſuæ fortunæ vocem roſtro erigere. TVNC PLENA NITEBIT. Pro verſibus Perſici vaticinij ap-

pendix adiecta. IMPERATOR NOSTER VENIET: ETHNICI PRINCIPIS REGNVM, CAPVT, RVBRVM POMVM CAPIET, SVBIGET. POST DVODECIMVM ANNVM CHRISTIANORVM GLADIVS APPAREBIT, QVI TVRCAM QVAQVAVERSVM FVGABIT. A parte ſiniſtra Leo ferocior ſuorum altorum imprudentia ſæuit, & ne domeſticorum quidem amicitiam manſuetudine reueretur. Hinc perfida ingratitudo, & impetus veſanior decuſsit illi auream Coronam de vertice, & alibi depoſuit: inde adoleſcens prętextam viuacibus oculis oppandit, vt inferitatis torporem, primiq. honoris patientiam ducat. Veſtis obiecta literis diſpoſitis alloquitur belluam. IMPERII MIHI IVRA MEI. Additum Diuæ Birgittæ oraculum, prętermiſſis verbis primis, quorum veritatem iam fata Suecis oſtenderunt. SVSCITABO FAMELICVM, QVI DEVORABIT DESIDERABILIA EORVM. INTESTINA MALA NON DEFICIENT, ET DISCORDIAE ABVNDABVNT. STVLTI DOMINABVNTVR: ET SENES, ET SAPIENTES NON LEVABVNT CAPVT. HONOR ET VERITAS PROSTERNENTVR; DONEC VENIET, QVI PLACABIT IRAM MEAM: ET QVI ANIMAE SVAE NON PARCET PRO AEQVITATE CHARITATE. Eminebant in parietibus plurimæ adhuc aliæ picturæ penſiles, quas celeri diligentia præterij. Non hæſi in Annulo, quem picto Orbe terrarum plenum, duplicique templo Fortunæ Virilis & Muliebris inſignem magnes regebat ad Cynoſuram, & baiula Siren deducebat dulci celeuſmate; PERVENIET. Non in Palmis, quarum vnam Mars, Diana alteram plantabat, Ventis vndique amæno ac leni afflatu reſonantibus. CRESCENT. Alibi ſatis erat luſus

Poe-

Poëticos legiſſe: alibi non ſubſiſtente acie ſimulachra obiuiſſe. Tenuit tamen ſedulæ feſtinationis deſiderium September, qui ad Connubij ſpectaculum integro temporis ſui progreſſus eſt apparatu, & nomen ſuum in ſeptimo anni imbre aureo egregiè oſtendit. Manum læuam onerauerat calatho, in quo impreſſa erant antiquæ dignitatis vocabula. TIBERIVS. GERMANICVS. ANTONINVS. TACITVS. ſed proijcienti ſimilis, quaſi ad noua auſpicia obſoletam appellationum gloriam faſtidiret. Monſtrabat autem dextræ digito faſciculos, quorum alter ligatus baltheo, flammeo alter præcinctus nomina Sponſorum intexta gerebat. Vt intelligeretur ex geniali nuptiarum lætitia petere voces alias in nuncupationem, manum indicem præibat voti ſumma. HINC NOMEN ET OMEN. Additi erant verſus in aureæ ætatis præſagium.

Et te iocoſa Phœbus inuitat lyra
Amice September; veni.
Qualem Canopi nigra vidit Natio
Serto reuinctum ſpiceo;
Aut illa Saturni beata prodigo
Conſpecta Sole ſæcula.
Qualis videri forte amas, quoties vago
Decurris inſolens pede,
Et bracteatis addis aurum frondibus
Flauas per Heſperidum areas.
Tecum ſuperbis Flora ſerpat lilijs,
Pictisq. Fauni fiſtulis.
Fluentibus circùm racemis Euius
Pinguisq. ſeruiat Ceres,
Agilesq. ludant Horæ, & in denſis leues

Comis iocentur Gratiæ.
Sed & alites nemorum Camœnæ muſicis
Feſtum iuuent decus ſonis;
Et Cæſarum notis tumeſce laureis,
Totoque Romano foro.
At hoſpes iſto cùm paratu veneris,
Vltrò lacertos excute.
Hic mundiore auro laborati dies
Vacuas dabuntur in manus,
Et purioribus educanda ſolibus
Ferentur anni tempora.
Hic te Maniplo conſecrabit REX *ſuo*
In auri omen ſæculi:
REGINA *primos offert faſces tibi,*
Crinemque vinciet roſis,
Et tunc vetuſti ſtemmatis planè immemor,
Dici RENATVS *non time.*

Et quia neceſſe erat aliquando contemplationes noſtras prolixiùs interfari,& inſpectis eruditionem aſpergere coloribus, in opinione literarum me poſuit Theonymphus: tandem & familiaritate ad cohortationem venit. Age verò, inquit, qui tam ſplendidè in vmbra materiam lætiſsimam verſas, quid in lucem quoque proferes? Agnouit mox è vultu meo ſuam orationem non gratè recipi, impenſiùs igitur in medicina laborauit. Et audebis in publico gaudio calamum non tingere, cùm tot artifices magis beneuolentia aliena, quàm ſuo conſilio in hoc argumentum deſcendant? Non eſt cur vires metiaris rei magnitudine, aut ingenium tegas verecundia. Coge te placidiſsima dierum imagine ad ſtylum: & ſcripſiſti. Ex communi feſtiuitate naſcitur genius paris iucun-

iucunditatis, qui mortalium voluptatem literis iuuet. Dum grandi tumultu mentem commouet facti celebritas, quis hac vrgente machina ad officium ſcribendi languere velit? Faciliùs eſt clauum regere, quàm figere anchoram, quamdiu vela ventus implet. Magna aggredi, præter virium ſtimulos conſultamque prudentiam, lætitiæ & voluntatis res eſt: quæ omnia ab impetu veniunt. Supra robur audeo tibi aliquid polliceri, ſi concitati pectoris arma arripis. Vt verò libertatem tuam in hos ſudores tantò magis cogas, non leuius telum alterius neceſsitatis cogita. Videor enim mihi intueri ingratam fore omnium noſtrum taciturnitatem, quam vnanimi Orbis terrarum applauſu rumpit. Summus certè Pontifex VRBANVS, ad tantum opus feliciſſima auſpicia tranſmiſit, ne Romana, atque adeò cœleſtis lux ſolennitati deeſſet. Quis & cognatorum Regum ſuam lætitiam, & Imperiorum vocem diei feſto non ſubmiſit? Hoſtes quoque exile eſſe rati ex vulnere ad venerationem coſurrexiſſe, audent muneribus iucundiſſimam hanc victoriarum metam coronare. Tantùm illis in hunc pacis articulum eſt propenſionis, vt in gratulantis animi concordia non videant verba, quibus fatis ſuis præludunt. Vide verò quàm id omninò à te fieri velim. Chartam hanc verſibus plenam ab innocenti Poëta accipe, & candidam ſimplicitatem excuſa pietate. Agnoui ſub hac modeſtiæ ſpecie Auctorem fuiſſe, qui porrigebat: notitiam tamen diſsimulaui, vt ſi in incertum laudes conueherem, fidem facerem ſinceritate conſcientiæ. Adhibui & vocem aptam ad legendum, idoneoſque oculorum affectus, ne amici operis gratiam incondita ſeueritate corrumperem. Erat autem Epithalamium ad veterum morem factum.

Regia nobilior docto connubia plectro
Phœbus adit. vos, ò Vates, ad barbita dextras
Promite, & Aonijs coniungite carmina Muſis.

Digitized by Google

At tu Phœbe pater (nam fas praſcribere ſummo
Materiam artifici) citharas dediſce Latinis
Frangere delicijs, & Graio pectine fortem
Emollire chelym. Lechia eſt, quæ porrigit aures,
Fœlix terra virum, robuſti Patria Martis.
Si blando imbelles pulſati pollice nerui
Deducent pharetram, facilesq. Cupidinis arcus:
Ad ceras horrore ibit non vnus Vlyſſes,
Opponetque moras. validæ ſunt Martia Genti
Gaudia; & illecebras appenſus corrigit enſis.
Carmen erat quondam Caſtor Polluxq. Polonum,
Ambo viri, ambo Dij. Pollucem & Caſtora feſto
Chorda vocet plauſu. quæ Numina pulchriùs altas
Inflamment tædas, quàm puri ſidera amoris?

Carmen Petr. Polonũ Leli Poleli id eſt Caſtor Pollux.

O facilè exaudita cohors! ô Phœbe Polonis
Semper amice choris! tenebras procul ecce ſereno
Accendit vultu Caſtor, radiatque propinquo
Ad thalamos aſtro. ſtellatum bellicus aurum
Fundit apex: laxo trabeæ rutilantia cinctu
Membra micant: gladius pretioſo ſplendet in igne.
Sed ſuperat longè vocalibus ardua flammis
Teſtudo, longi quia quondam tædia belli,
Et curas in ſpem Phryxæi velleris vrſit.
Audimus taciti. plectrum iam diuite ducens
Gaudio, in has reſono ſe attollit ſidere voces.
Ite ſerenatis, ô Sponſi, in fœdera dextris:
Ite pares. nexu ſe ſentiat Orbis in iſto
Vinciri, aut vinci: quas non adſtrinxerit oras
Imperio, in laudes merito deriuet amore.
Non leuis eſt, ſacros qui circuit annulus artus.
Regna gerit, Pontique vices; & (vera fateri
Cur pigeat?) rutilus ſtellarum hic ordo beatum
Ardet in auſpicium, quanquam ſua cuiq. voluptas

Luce

Luce frui: veſtri non indignamur honoris
Extingui cenſu, & radijs tenebreſcere tantis.
An quiſquã certare queat tibi, Maxime PRINCEPS,
Aut ſuis luminibus componat lumina inultus?
Talem te intueor, qualis diſtringere ferrum,
Et quatere arma ſoles. ò qua tunc fulgura mittis
Hoſtibus illiſus mucro? quos aurea fundit
Cæſaries ſoles! quamuis deterſerit omnem
Pax belli faciem, ardentis meminiſſe quid obſtat
In campis gladij? magno inter gaudia motu
Linea ſe promit ſemper, quæ lubrica cerni;
Agnoſciq. ingens oculos deponit ab alto.
Tu quoq. VIRGO, *polos exacta luce fatigas.*
Siue genas niueo commiſcet purpura flori,
Lumina difficili ſeu maieſtate ſerenat
Comis honor, celſas remoues ex æthere flammas,
Inque tuo radios exſpirant ſidera vultu.
Seruat in his laudem velata Modeſtia ſignis;
Et Pudor, & Pietas, & magni cultus Honeſti.
O meritò gemino hoc plauſus de lumine ſurgit!
Agnoſciſque tuum præſaga Polonia nomen!
Plura daturus erat: ſed enim concordia ſuaſit
Polluci ſeruare vices, alternaque vita
Iura dare. Eliſijs & iam proceſſerat illo
Sedibus. vt motis Dominum permiſſus habenis
Cyllarus oſtendit, ſcintillis nobile fulſit
Calcar, & in preſſo micuerunt fulgura fræno.
O bona lux! non illa quidem de more canoram
Explicuit noctem, placidas nec temporis horas
Flammarum crepitu cecinit. potiore reluxit
Spes oſtenſa manu. pulcherrima fata beatis
Vidimus è ſpatijs producta vireſcere circùm,
Venturumque micare genus, laudeſque nepotum,

Et, quæcunque ferent optatis ſæcula votis,
Iam velut in tabulis ſummos radiare per ignes.
Ite ſerenatis, ò Sponſi, in fœdera dextris:
Ite pares, & vota hominum, curamque polorum
Per pia concordi penſate exordia nexu.

Tunc & ipſe ſubdidi. In hoc felici exemplo animum amitterem, Vir humaniſsime, niſi dediſſes aliud robur, quo impetum retineres. Non ſubſtituet me quidem in parem gloriam labor iſte: velut fræno tamen patiar me duci publico obſequio in communem lætitiam. Vnum illud ſæpè æquiſſimos metus facit, ne ſola Poeſis in multorum faſtidio ſuum reperiat ſupplicium. Noſti ætatis noſtræ mores. Res ad aurium voluptatem aptiſsima paucos ad fauorem ſolicitat. Quia laudum materiam verboſè cruciari, & in tempus præſens fabulam natam putăt, erudita lectione ſuos affectus non conſecrant. Non vrgebo igitur meam diligentiam in has anguſtias, & tædia. Si ſolus fecero, quod omnes; fortaſsis varietas commendabit, quidquid minuerit audacia. In imagines conferam ſpem & deſideria hominum; &, quod æternitati debetur, præſagio ingenij pingam. Delectabit paſcere hoc ſpectaculo animum, & venientem felicitatem velut in ſpeculo inuocare. Non erit præterea mutila laudatio, quæ & compendio obſeruantiæ communis, & Regiarum virtutum cumulo tota in Nuptias veniet. Interponam autem Suadæ intercinentium Muſarum voces, vt, quod illa ſoluta dictione laxauerit, iſtæ numeris ſtrictioribus coerceant: rurſùs iſtarum ſeueritatem illa temperet orationis libertate. Licuit Senecæ hac arte Claudium Cæſarem ducere in rogũ, vt celebri ignominia apud poſteros viueret: licebit & mihi optimorum PRINCIPVM gloriam ſuauitate fabulæ proſequi, terrarumque fortunam ominari. Non erat iniucunda Theonympho ſententia, me ergo precibus oneratum ad lucubrationem

nem dimiſit: ego calorem primum, ne mora euaneſceret, in tabulas retuli.

Poſtera die, vt ſcribendi amplior adeſſet copia, plura aliorum ingenia in mei laboris vſum conquirere cœpi. Quia verò frequens ſermo Aconopolitanam arcem, vtpote Regum ſedem, meo vtilem ſpondebat propoſito, eò me cuntuli. Via in eam ducit vario conſtrata marmore, ſed ita ſolido, vt durum euntium inceſſum inæquali veſtigiorum ſcabritie non improbet: ita reſono, vt argenteis calceorum clauis grato tinnitu applaudat: ita denique mundo atque perſpicuo, vt procedentibus opponat imaginem, quæ ſingulos motus ſimilitudine obiecta emendet. Exorientis Solis ardorem virentes Lauri vmbra leniunt: occidentis oppoſitæ cupreſſi; videnturque docere, Polonæ indolis eſſe, laureis ſolari labores, ſi in immortales cupreſſos cadere fatis extremis velint. Nec diſcrepat ingreſſus ébore in literas fracto nobilis. CVRSVS AD GLORIAM: aut pendulæ inter frondes laminæ, quoties ſculptis vocibus ſtrepunt. VTROBIQVE VIRESCE. Progreſſum excipiunt in veſtbiulo portæ, Polonia & Auſtria Dearum inſtar efformatæ, & iunctis dexteris confidentes. Poloniæ vultus ad maieſtatem expolitus, color virilis. genæ in candida ſerenitate ſeruant adhuc Martium ruborem. pellucidus oculorum vigor orbem terrarum in pupillis gerit. ſupercilia tam decenter compoſita, vt in porrectis grauitas, in contractis gratia emineat. frons verò libertatem, quam amat, velut pictam in cultiſsimis lineis oſtentat. nec dedecet caput galea tectum: ſed Ciuica, Obſidionalis atque Caſtrenſis corona ferri ſplendorem magnificè inumbrauit. Iuxta ſedet Aquila ad volatum expedita, fulmine in vnguibus ſcintillante terribilis,& clauibus poſt clauſum Iani templum de collo pendentibus inſignis. Auſtria porrò bellicam ſeueritatem lætiſſimi oris indulgentia commendat. nihil in aureo veſtitu molle, nihil in ſerijs nutibus

ingra-

ingratum. puluere militari nondum plenè libera facies nobiliùs nitet, quàm ſi de purpuriſſo gloriam haberet. Voluit nempe ingenioſus Artifex ita corporis formam reddere idoneam hilaritati, vt tamen à genialibus lætitiæ ſignis rigor campeſtris non abeſſet. ſiniſtra mulcet roſis Leonem, qui & ipſe, quòd noſcat Dominæ manum, ſuper cœlibarem haſtam iubas depoſuit: obſequentem interim luminum aciem in comas defixit, quas triplici diademata ſuggeſtu in altum attollunt. Adſcriptum vtrique; DISSITA IVNGIT AMOR. Auguſtum hoc portæ ſpatium egredienti, geminæ ſe obtulerunt ædificia paris magnitudinis ac ſplendoris: ſed planities areæ, quę tranſeunda eſt, in duas ſcinditur ſemitas, interſitis arboribus, amœniſsimoque fonte diuiſas, quem Copernicus ſui eſſe inuentum ingenij, Dędalus laboris vellet. per incilia aquę in proceram ductę arborem cauis frondibus ab alto labuntur, & per inſidentium volucrum roſtra redeunt in imum. Ars ſignorum in ſubiecto alueo pręcipuum habet miraculum. In medio enim Venda tanquam in flumine cum fluctibus luctatur, & ore diuiſo ſorbet depromitq. aquas. In confinio verò littoris contumax Ritigeri ſtatua marmori purpureo incumbens vulnere fundit ſanguinem, & his verſibus inciſis indignatur. Vendę.

Parce, precor, fluuio. iratum tibi fundo cruorem.
Perdere te hoc poterit vulnere ſpretus amor.
Alter & Altera erit, meliùs quos iunget amico
Verus amor ſolio: nos facit vrna pares.

Agnoui pulcherrimum oraculum in noſtra tempora incidiſſe. Deinde eam viarum priùs penetrandam putaui, quę in Regis ducit palatium. Ibi porticus ſublimis me mihi pœnè eripuit. Stabant enim duodeni Aeones in morem Numinum fabricati, vt antiquis domus Auſtriacae decoribus

VLA.

Digitized by Google

VLADISLAO Regi occurrerent. Primus Aeon purpureo paludamento radiabat, cui illigatus erat auro Pharamundus, Clodius, Moroueus, Childericus Reges Francorum, egregijs omnes armis inſtructi. Sed eminebat familię nobiliſſimę dux Pharamundus. Quippe Solem ſceptro pręfixum erexit, & amicum ſui ſanguinis ſidus intextis propè terrarum Dynaſtis oſtendit. Auctor operis elegantem ex nomine Principis elicuit epigraphen, & ſceptro affixit. PHAROS MVNDI. Alter vexillum rubea cruce illuſtre extulit. In eo Clotarium, Sigebertum, & Childebertum Clodoueus pręit veneranda canitie. Imminet coronatis verticibus adſcriptum S. Remigij Antiſtitis Rhemenſis oraculum ac votum. EX IPSO REGES ET IMPERATORES PROCEDANT, QVI IN PRAESENTI, ET IN FVTVRO IVXTA VOLVNTATEM DOMINI AD AVGMENTVM SANCTAE ECCLESIAE, VIRTVTE EIVSDEM IN IVDICIO, ET IVSTITIA CONFIRMATI ET CORROBORATI REGNVM OBTINERE ATQVE AVGERE QVOTIDIE VALEANT. Tertius dextra gerit inclytum Auſtraſię diadema, cui inſiſtens firmo pede Theodebertus labentem Sigebertum Exulem ſola veſtis lacinia retinet. Ille caſum ſolatur nobili dicto adſculpto. SVPPONIT FORTVNA TIARAM. Lęua imaginem arcis Habſpurgicę, nobile opus Sigisberti, tenet. per excelſas turres geminas micat relicta in verbis ſpes. INDE PLACEBIMVS ORBI. INDE REDIBIMVS VRBI. Aeones qui deinde ſequebantur ſex, omninò ſimili erant forma & Inſignibus. Cuique Leo per auream planitiem fuſo corpore purpureo blandiebatur, ſatis ſecurus nihil ſibi Habſpurgi de oſtro perijſſe. Siniſtris gerebant vaſta ſcuta, in quibus ab Ottoberto ad Albertum II. longa ſanguinis deriuatione celebres viuebant Comites. Vmbo omnium elo-

Baron. ad an. 514.

giun

gium Francicæ gentis ex Sidonij Apollinaris teſtimonio habebat annexum

—INVICTIQVE MANENT ANIMOQVE SVPERSVNT
IAM PROPE POST ANIMAM

Tres reliqui trabea Romana refulſerunt cæteris magnificentiùs. Rudolphus enim I. Imperator pietate aperuit ſibi poſteriſque Romanum Imperium. Formoſiſſima hæc fuere omnium ſimulachra, & maximè in maieſtatem compoſita. Inde
Vernul. per clypeos Rudolphi, Alberti, Frederici & Maximiliani duo,
in Apol. Carolus, Matthias, Ferdinandi tres auguſtis fulgurabant
Auſtr. vultibus: hinc Europam, Aſiam, Africam, Americam manibus apprehenſas his retinebant vocibus. TENEO ET PLACEO. Illud verò præclarum erat, nullam è duodenis ſtatuis fuiſſe, quæ ſtemmata Auſtriaca per palmatas tunicas ſparſa præ pectore non geſtaret, & in euentus felices
Vlyſs. ſymbolo non duceret. Ibi Caſsitæ Manipulis ſuperuolabant
Aldrou. cum carmine. HIC VIRTVTIS ERIT NIDVS.
L. 18. Hic ruber LEO appenſam Sarmatici Regni purpuram ſpe-
Ornith. ctabat, & ſibi ex affinitate promittebat decus. AMPLIVS
c. 10. INDE RVBEBO. Alibi Scutum Alcmena in cunas
Lazius paruo Herculi formabat, agitabatque manu & cantu.
& Verderius. DISCE LOCI GENIVM. Alibi Fluctus cor Martis blandiſsimo inuadebant impetu & ſono. SINCERI PORTVS AMORIS. apud pleroſq. Faſciam pro velo in naui expanſam ventus impellebat, & deflexis in egregium ſenſum duarum Nationum vocabulis explicabat imaginem. SEMPER HIC AVSTER AD POLVM. In hoc conſpectu quid aliud agerem, niſi honorum ſocietatem admirarer, quæ ſe tot laudatiſsimis ſæculis inſereret. Quantum enim eſt hoc faſtigium, tot tetrò annos gloriæ habere vectigales? à tantis Heroibus beatæ ſortis auſpicia accipere?

Digitized by Google

cipere? tot tranſactas ætates rerum conſortio laudabilium, connubioque ingredi? Sit ſanè magnum, ornamenta hæc in originem à parentibus iam accepiſſe: quantum erit eadem augere ſacramento, & in genus, quaſi in patrium cœlo, ſidera reducere, quibus præterita tempora luxerunt? Nihil hic habet neceſsitas. omnia meræ referuntur libertati; atque ideo plus de fulgure accipiunt, quia electione veniunt. Et eſt vtique capaciſsimæ mentis, intentam ſibi indolem in primos honores reſumere, atque ampliùs in ſublimi rerum humanarum ſpecula acceptam ſtabilire nobilitatem. Quidni & prudentiſsimum Senatum probatum, qui in luce ſententijs ſuis conſedit: hanc vnam conſilijs ſignauit idoneam eſſe, quæ Polonæ faci accederet. Ibi erat ſtudio, priuſquam de ſumma rei rogaretur: ibi iudicio, poſtquam quæſitus eſt.

In hac prolixiore cogitatione ad caput viarum redij, vt alterum allem, quo Regina ſuum in ſolium proceſſura fuit, pari obſeruatione decurrerem. Erat & ibi atrium ſtructura imaginumque artificio lætiſsimum. Quippe parietibus aſsidebat in orbem è Pario lapide conditus Muſicorum chorus. Diuerſa ſingulis erant inſtrumenta, quibus ſtirpem Sueticam atque Iagelloniam canere ſe, & Auſtriacæ innectere familiæ ſimulabant. Qui lituum ſpiritu ac voce animabat, modos accipiebat ex oppoſito verſatili terrarum globo. Inſculpti ei erant per ampliſsima Imperia diuiſi Suecorum Reges: nullaque omninò viſebatur prouincia, quæ nomen Gotticum æſtimatione aut metu non recepiſſet. Effulſerat in Suecia Carolus, Guſtauus Primus. Ericus, Ioannes: in Polonia Sigiſmundus Tertius. Vladislaus Quartus, quanquam vbique ſuarum laudum haberet veſtigia, in Auſtria amœniore conſpiciebatur vultu conſediſſe. Modulator cantus addito elogio teſtabatur Famæ ſibi impoſitas partes, vt coniugij honorem laudationi terrarum diuiditur. A V-DIAR VBIQVE. Solerti huic inuento par erat Ly-

ricinis

Lyricinis induſtria. Sola vox præſtantiſsimo operi deerat; ſed & illam elegans manuum compoſitio fingebat, pœnèque viuaciſſimi motus expreſsione promiſſum, neque tamen perceptum melos auribus imputari poterat. Oculos autem reflexerat in librum, in quo pro Muſicis notis Iagellonicæ domus Heroës ac decora legebantur. Altiores lineas inſederunt Reges nouē, medias Principes, in infimis profecti ab vſque Proſpero Cæſarino Columna Proceres. Porrò tres chordæ in Cithara, quaſi tactu vehementiore ruptæ reſilijſſent, conuolutæ in obliquum latus diſceſſerant. Earum locus Auſtriacis totidem Alaudis ceſsit. Vicem hanc modulationis admiſiſſe non inuitas patebat ex alarum plauſu, & gutturis hilaritate in plenos ſonos tumeſcente. DICIMVR LAVDE. Ne Eunomus quidem tantum habuit à cicadæ auxilij. Quid verò memorem organa vigilibus ad carmen tubis ſtantia, qualia D. Cæciliæ affingit pictorum pietas? Qui eas vagis pulſabat digitis, materiam canendi accipiebat ex vola manus inuerſæ, & terram pollice ſpectantis. Emblemmatis ſententia imminebat dextræ. HINC CANTANDA LEGO. Curſim alijs luſtratis, hic prolixius hæſi, copioſa inuitatus ſpectatorum admiratione. Multis enim ingenijs imago hæc fuit in tormentum, cùm non ſatis viderent ſcriptum in manu laudationis argumētum. Tot igitur propè ſenſus in expanſum ſinum admiſerat, quot oculis in ſpectaculum porrigebatur. In vnum quidem vniuerſorum opinio conſpirauerat VLADISLAVM; ſed ab interprete ſuam conſenſus omnis habuit diſcordiam. Alij manum à nota fidei æſtimantes, cenſebant commendari maritalis fœderis gloriam, quam in Auſtria, hoc eſt, in apice nobilitatis humanæ quæſiuit. Alij dicebant militare extolli robur, cuius beneficio priùs ex cruentis hoſtium tumulis, quàm Imperiali thalamo purpuram auxit. Fuerunt qui aſſererent certam linearum in manibus ſectionem eſſe virtutis characterem, diuinam Honeſti ſculpturam, rerum gerendarum literas, typum indo-

indolis,priuilegium felicitatis. meritò proinde ex impreſsis his fortunæ ſignis eximia opera, & abſolutos iam labores in carmen formari. Alij ſagaciùs agnoſcebant manum illam eſſe publicam,cui Natura primam nominis literam VV. tanquam beneuolentiæ in animo habitantis ſtemma inſcripſit. Et hoc eſt Rege implere manus, ne beneficia ſine auctore apud nos viuant. Iucundum erat intueri,cùm auditis his argutijs quiſq; in contemplationem ſuæ palmæ iuit, vt ad PRINCIPIS æſtimationem obſignatum animum animaduerteret. Feruebat igitur aula promiſsionum tumultu. Quibus militia cordi, lacertos erigebant & arma, in decus propugnationemq. REGIS ſuo exitio ire parati. Nihil ſe ambigere de viribus,quas inſitis lineis nerui ad pugnam intendiſſent. Feliciter ſemper bellaturum VLADISLAVM, qui in ſubditorum dexteris de nomine ſuo ſacramentum haberet. Nullum formidandum hoſtem, cui tot fortitudinis ſigilla opponi poſſent. Eam eſſe cauſam,cur breui tempore tot victorias recenſuerimus. Eſſe quidem hęc quoque ſigna aduerſarijs communia,ſed conferre ad metum, & arcano frangere terrore copiarum conſcientiam. An enim diu coacta vis impetum ſuſtineat, quam inſcriptio ſimilis infelici debilitat præſagio? cui ad gladios ſtringendos ſuperſit audacia, manibus animo obluctantibus, & ad conſpectum fatalis literæ fugientibus iræ conſtantiam? Paſsim quoque mentis ad ardua impetus in breuia redactus metra grato fremitu audiebatur.

Aude Sarmaticis. Rex Maxime, viribus vti.
Iam tua habet noſtras litera prima manus!

Alij literatam hanc ſtricturam in liberalitatis opinionem vocabant:

O quæ munifici portamus ſymbola Regis;
Quo geritur nobis vtraq. plena manus!

Plures malebant ad immortalem memoriam referri:

Nulla

Nulla tuas damnis virtutes deteret ætas,
Quas memori ſculpſit Gloria docta nota.

Plerique ad communem omnium amorem deriuabant:

Ingratum noſtris te nemo proferat oris,
Sanguine quem ſcribit Lechia tota ſuo.

Erat & ex eruditis non nemo, qui LADISLAVM integrè ſcribi idcircò aſſereret, quòd communis naturæ beneuolentiæ initium vbique præmitteret pleno nomini: Ego inſpecta manus meæ pagina, inter tot aliorum vota, lætabar hanc mihi ignoranti fortunam obtigiſſe, vt ad eximia inuicti Regis facinora exaranda non tam factus quàm natus, atque adeo conſecratus dicerer. Iam non tanti faciebam hyacinthum, genus violę, ita diſcurrentibus venis diſtinctum, vt Aiax ſuæ vocis primitias in inſcripto AI, habeat. Nam vtcunque probemus tam nobiles frequenteſque florum tabulas: in ingemiſcentis Græci vocabuli ſenſu mœſtam legimus querelæ imaginem. At verò quàm diſpar ſors mei inſtituti! Tibi ego, REX INVICTISSIME, iam antea dicaui, quidquid bello ac pace in Regno poſuiſti. Non omiſi felices conſiliorum ſucceſſus & pietatem: nunc verò etiam optatiſsimam Nuptiarum lętitiam in imagines confero, vt non ex vano me ad tua commendanda opera inauguratum pollicear. Immixtus turbæ verba hæc elatiori voce protuli; quippe quibus nullum ab impotenti animo imperium dari poterat: palamque conſtabat pulchrum eſſe, amico gratitudinis impetu deſipere. Sic rerum obſeruantiæque plenus ad inchoata ſtudia curſum retuli, nec prius calamum ſubſtrinxi, quàm perfecto conſtitit VOTORVM ICON argumento.

AETER-

AETERNITAS
SERENISSIMORVM
STIRPIS IAGELLONICAE
REGVM
IN
VLADISLAO IV.
Orbi expreſſa,
&
Eidem Sereniſſimo ac Inuictiſſimo
POLONORVM AC SVECORVM
REGI
cùm VILNAM Lituaniæ Metropolim
cum Sereniſsima REGINA
CAECILIA
RENATA
AVSTRIACA
ingrederetur
Ab Alma ACADEMIA VILNENSI
Societatis IESV, in debita ſubiectionis
teſtificationem

dedicata.

———— *vno auulſo non deficit alter*
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Virg. 6. Ænead.

Digitized by Google

POTENTISSIMO
AC INVICTISSIMO

VLADISLAO IV.
REGI POLONIAE

Magno Duci Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Liuoniæ, Samogitiæ, Seueriæ, Czernibouiæ &c. &c.

Suecorum, Gothorum, Vandalorumq. Hæreditario

REGI.

Domino Clementiſsimo.

NON vna mentem Maieſtas occupat, cùm Auguſtum vultum Tuũ intuemur, REX POTENTISSIME: Senatum Regum ſolus exhibes, quos ex conſpectu Tuo meliùs, quàm ex Annalium reuolutione nouimus. Viuere in Te IAGELLONIS Herculeum robur, inuictos VLADISLAI Varnenſis animos, ALBERTI clementiam, ALEXANDRI in Ciuium animis pertractandis peritiam, SIGISMVNDI Primi felicitatem, altum & imperijs regendis natum AVGVSTI iudicium, Paternum SIGISMVNDI Tertij tum publicæ Salutis ſtudium, tum Literarum, Ingeniorum, Virtutumq. patrocinium in Te vno

V 2 con-

Digitized by Google

conſeruari, Regno & Orbi gratulamur, Illos igitur non tam imitatione à Te expreſſos, quàm Tuarum virtutum coloribus ad omnis æui exemplum abſolutos, humilis & deuota ACADEMIÆ Noſtræ ſubiectio Tuo conſpectui ſiſtit. Permittet Tuæ benignitatis facilitas nos vel mutam nubium gratitudinem æmulari, quæ eodem, quod à Sole acceperunt, lumine plures Solis imagines depingunt, vt vnius ſplendorem repræſentent. Partiri enim cogitur animus, cùm ea, quæ nonniſi in pluribus reperiri poſſe putauit, vnius capacitas ſuà immenſitate concluſit. In plures de Sanguine Tuo Reges cultum imbecillitas noſtra diuidit, quia vni Tuæ magnitudini parem venerationem afferre non poteſt. In Tuis Te Maioribus colit: ſcit enim ingentes fluuios in fontibus faciliùs coronari. IAGELLONES Patriæ Patres, quos in publica cōmoda Tua Virtus animat, Nomini Tuo conſecrat: atque vtinam plures à Te, Tecum vnà florentes aſpiciat, vt vtrinque deuota Populorum ſubmiſsio reperiat in quibus Te adoret.

Sacræ Regiæ Maieſtati Veſtræ

humillimè deuota

Academia Vilnenſis Societatis IESV.

VLADISLAVS IAGELLO

Sinum Polonæ libertati aperuit
in quem libentiùs conceſſit,
Quòd Prognatum illis eſſe acceperat
quibus nec Roma ſuo exemplo, vt ſeruirent, perſuaſit.
Alterum (cum patria degeneraſſet) orbem quæſierunt,
In quo de ſeruitute triumpharent;
Nuſquam meliùs Romani, quàm vbi Liberi.
Felix
Lithuania, quæ Roma Tyrannide exacta
Libertatis ſpiritum excepiſti.
Animauit ille diu LITHVANOS, SAMOGITAS, RVTHENOS,
Romanus ſemper, Magnus, ac Liber.
At
In VLADISLAO IAGELLONE tantò ingentior eſt viſus;
Vt ſuam illi Poloni Libertatem, Regnum, & Regni conſortem
darent.
Reperit magnus Animus quod tantæ liberalitati refunderet.
Nam
Sileſios hoſtilia meditantes conſilio anteuertit,
Manu oppreſſit, Spiritum victis ademiſſet,
Niſi
Victoris clementia reſpirium in Polona
Libertate dediſſet.
Pari in Teutones animo atque ſucceſſu mouit.
duplici bello victos, armis, caſtris, vrbibus, ſpiritu exuit,
vt in tot hoſtium capitibus æternum Polonæ felicitatis
Capitolium erigeret.
Perēnis quoq; Coniugij nexu Lithuaniā Poloniæ copulauit
Optimus vtriuſque PATRIAE PATER,
Cui

Digitized by Google

CASIMIROS, ALBERTOS, VLADISLAOS,
ALEXANDROS, SIGISMVNDOS,
Sui Sanguinis, Virtutis, ac Triumphorũ Hæredes, hucuſque,
Abſens, Præſentes ſufficit.
Vt in Filijs ac Nepotibus immortalis,
ab vtraque Republica orbitatem arceat.
LITHVANIA tamen
quæ ſe orbi ſemel genuit,
Vt bis Parentem agnoſceret,
Viuens adhuc perfecit.
Cùm
Diuinæ illi Fidei animam inſpirauit:
Legis Chriſtianæ in Comitijs Vilnẽſibus Ciuibus Imperator
in Campis & deſertis Dictator factus.
Ad ſolidæ enim Maieſtatis decus pertinere putauit,
Cœlo dignis imperare, & eoſdem cum Deo ciues cenſere.

Digitized by Google

VLADISLAI IAGELLONIS De Crucigeris nobilis victoria,

Quorum Magiſter, REGI, & Fratri eius ALEXANDRO VVITOLDO per contemptum ante motas acies, duos gladios miſerat.

Lubrici mucro ſpecimen fauoris
In pios languet: magis impiorum
Cæde nutritus calidas cruore
Expiat iras.
Teutonum, fruſtra, periture Princeps,
Ante quàm Lechas videas cohortes
Ludis Heroëm, ſed iniquus almis
Augur in armis.
Non tuis audet gladijs in Hoſtem,
Non tuis armis tua tela LADI-
SLAVS eludet, proprijs triumphis
Sufficit ipſe.
Nam tuus mucro muliebris, auro
Palleat quamuis rutiletque gemmis.
Fulget; at ferrum, chalybemque vitat
Frigidus enſis.

Digitized by Google

Dextra quæ talem moderatur enſem,
Hoſtium nomen timet, & fugaces
Inſerit pennas pedibus, relicto
Non bene campo.
At IAGELLONIS gladium videbis,
Teutonum inſertum iugulo, minacem,
Faucibus duris, rigidumque vaſtis
Corporis vmbris.
Dexteram cernes animo potenti
Supparem; namque arma nihil timenti
Proderunt, excors animus fugaces
Si regit artus.

Digitized by Google

VLADISLAVS IAGELLONIVS
VARNENSIS.

Cùm

Breue ei vitæ ſpatium Fata definiiſsent.
Fortuna maturauit Imperium.
Nouenni Poloniam tradidit,
Sexennio poſt Hungariæ Malum aureum adiecit,
at ille animo IAGELLONICO Fortunã prægreſsus,
irritauit Dominam,
vt licentiùs in corpus matureſcẽtis ferro decerneret,
quæ pomo & auro cum Puero luſerat.
LECHIVS ALEXANDER
Macedoniam ſuis imparem armis teſtatus,
Sclauonias Prouincias ferro expurgauit,
incolarum priùs reſperſas ſanguine.
Hoſtium cæſorum capita,
non in acie cadentium corporum;
ſed ſignorum captorum numero,
Et Amurathis cum exercitu pro pace ſupplicis lachrymis;
cenſuit.
Vtinam porrò ille
lachrymis ſuis ardorem pugnandi in REGE extinxiſſet,
Varna
non tam ſuo nomine;
quàm noſtrà clade nobilis,

Cannas

Digitized by Google

Cannas nobis non exhibuiſset.
ad quam VLADISLAVS
paulò ante Victor, iam victus,
Periurij quo aſpergebatur maculam
Sanguine proprio diluit.
Non tam Hoſtium virtute,
quàm fraude ſublatus.
In hoſtico ſanguinem fudit;
corpus proiecit,
Vt hoſtem in viſcera Patriæ ruiturum,
ſanguine mergeret;
Corpore
vt ſcopulo frangeret.

VLA-

Digitized by Google

VLADISLAI TERTII

ad Varnam cæſi Generoſus animus.

Siue ſublimi manifeſtus oſtro,
Aut fugam Sortis meditantis alto
Excidit curru genialis almi
Sanguinis Hæres,
Triſtibus nunquam ſepelitur vmbris
Degener. Sol eſt? Generoſus ardet;
Ingruunt nubes? Generoſus ardor
Nubila neſcit.
Ferueat moti licet ira Ponti,
Affluat fuluæ licet vnda terræ,
Tam LADISLAVS placidis mouetur,
Quàm vel iniquis.
Seu triumphali trabea decorus;
Seu triumphatus: ſimiles meretur
Laudis Auguſtæ titulos, paremque
Victus honorem.

Vice-

Digitized by Google

Vicerat? Fortem coluere regna:
Sclauones veram ſobolem Gradiui:
Herculem victus Macedo, timebat
Thracia Martem.
Victus? at forti Patriam periclo
Texit: in vallum poſuit cadauer,
Sanguinem in flumen. pretioſa multùm
Littora Lechis?
Viuet & nullo morietur æuo
Fama florenti melior Cupreſſo;
Fama formoſo potior metallo
Ibit in annos.

CASIMIRVS

Felicioribus auſpicijs PARENTI
quàm FRATRI propinquior,
Felicior futurus,
Si eâ ſemper felicitate in Crucigeros,
quâ in Valachos aciem direxiſset;
Sed auerſum ſemel vultum,
redintegrato prælio Victoria reddidit,
Cùm tot REGI hoſtium capita adnumerauit;
Vt tardiùs viciſse gauderet.
Virtute partam victoriam non impare ſucceſsu
clauſit.
Nam
prçter Pomeraniæ, Michlouiæ, & Culmæ acceſſionẽ,
æternà pace ſub eo Polonia effloruit:
PRVSSIAM
Toties armis Polonicis attritam, & exhauſtam,
Oleæ ramis recreauit,
EZIGERO Tartarorum Tyranno
ita formidabilis erat,
Vt eum à ſuo nutu ſuſpenderet.
Cæteros,
In quos ferrum non ſtrinxit,
humanitate expugnauit.
Principibus Ciuili tumultu vexatis
Aſylum in ſuà manu oſtendit,
SACH-

SACHMETEM Turcarum Imperatorē VILNÆ,
Et CAROLVM Daniæ Regem (à ſuis pulſos)
GEDANI,
eà benignitate excepit,
vt vbique terrarum abiecti,
apud CASIMIRVM ſolum
Reges ſe eſſe meminiſſent.
Dignus profectò,
Cui clementia thronum
in annos quinque & quadraginta
prorogaſſet,
quinque de Filijs REGES,
DIVVM vnum,
alterum ECCLESIÆ Purpuratum
dediſſet.

CA-

CASIMIRVS IAGELO

Sachmetem Turcarum Imperatorem, & Carolum Daniæ Regem, ſupplices profugos ſuſcepit.

Nobilis portus miſeris, aſylum
Regibus vulgi rabie petitis
Naufragis Ponti CASIMIRE nautis
Sydus amicum,
Thracicus Sachmes tibi ſupplicantem
Verticem acclinat, Dominasq; lambit
Baſijs plantas, Lechicamq; verrit
Syrmate Terram:
Daniæ Princeps Carolus, minacem
Plebis iratæ fugiens furorem,
Te ſuo Portum Pelago, ſuisque
Poſtulat vndis.
Fluctuat? dextra miſerum leuabis.
Mergitur? vitam dabis, & ſalutem.
O Pharus! Regum ò Cynoſura CASI-
MIRE periclis.

Digitized by Google

Non triumphatis toties Gelonis
Gloriæ meſsis tibi tanta creuit,
Quanta ſeruatis tibi de Dynaſtis
Vernat ariſta.
Credo! Seſoſtris Dominus Canopi
Regibus vectus generoſiore
Floruit Lauru! meritisq; famæ
Paſcitur annis?
Gloriam nutrit facilis petenti
Dextra: clementes animos perennat
Fama, quam celſo vehit innocens Cle-
Mentia curru.

VLA-

Digitized by Google

VLADISLAVS IAGELLONIVS
Hungariæ & Bohemiæ Rex.

Ea erat de VLADISLAO apud ſuos
atque Exteros opinio,
Vt ad vindicandam Patrui mortem,
Parem Indolem, ac Nomen ſortitus videretur.
A D
Sceptra itaque Vngariæ inuitatus,
Tantò promptiore animo acceſſit;
Quantò propior hoſtis erat,
Quem VLADISLAI Patrui Manibus immolare deſtin auit.
Optimum
Magnus animus augurium dabat,
Nec vinci poſſe magnitudinem dubitauit,
Quæ aliorum diffidijs, ſuà fraude, & latrocinijs
creuiſſet.
ALBERTVM Germanum POLONIARVM REGEM
ijdem ſtudijs incenſum,
Ad egregiam belli & vindictæ ſocietatem euocauit,
Vt vnum in Fratribus Hoſtis robur,
eandem Patruus pietatem ſentiret;
Cui
Magnum vterque poſituri erant apud barbaros monumentũ,
niſi Valachi perfidia interceſſiſſet.
Primi conatus irriti,
maiores inuicto animo ſtimulos addiderunt.
Nam, Et
ſecundis prælijs Turcam ſæpè vexauit,
Et de reponendà illi tum ſuà priuatà,
tum publicà Chriſtiani nominis iniurià,

cum SIGISMVNDO Fratre
POLONIARVM REGE,
& MAXIMILIANO ROMANORVM IMPERATORE
Viennæ deliberauit.
Obtulit
Vtriuſquè Bohemici ac Vngarici Regni vires,
Vt cognati ſanguinis veſtigia,
hoſtili cruore
aut elueret, aut mergeret.
Sed
cogitatione tantum ac propoſito deſignare id magna
Mens potuit.
Nam ſupremæ gloriæ fructum
alteri VLADISLAO
fata ſeruarunt.

VLA-

Digitized by Google

VLADISLAVS IAGELLONIVS IN HVNGARIAE, & Bohemiæ throno collocatur.

Aurei non ſic ſpecies metalli,
Non Erythrei paribus Lapilli
Fulgurant flammis, varijsq; diues
India gemmis.
Purpuræ quantùm ſociata Virtus
Fulget, & latis ſpatijs in orbem
Porrigit lucem, rapit & remotas
Lumine gentes:
Hæc VLADISLAI prohibet latere
Abditum Regnis Patrijs decorem,
Pannones celſo ſolio reponunt
Lumen amicum.
Inde vicinos iaculatus ignes
Regius vertex, paribus Bohemos
Euocat votis, geminare frontis
Lumina dignus.

Digitized by Google

Regios dignus geminare faſces,
Vna quo Regni minor eſt corona,
Dignus auro bis, bene qui receptum
Protegit aurum.
Patrŭi Manes generoſus vltor
Ardet audaci recreare dextrà,
Thraciæ ſæuum impauidus Tyrannum ad
Bella popoſcit.
Fata ſed magnis inimica cæptis,
Inuident laurum, meritasq; palmas.
Corriget ſortem, Patruiq; fatum
Dextra Nepotis.

L V-

Digitized by Google

LVDOVICVS IAGELLONIVS

Hungariæ & Bohemiæ Rex.

VVLADISLAI FILIVS
Faſces natus in faſcijs
Pro Cunis habuit Solium
Pro Crepundijs Sceptra
Pro linteis Paludamentum
Obſtetrice Coronam.
Nondum puer iam Rex
Regiam ſibi laurum lachrymis puerilibus
maturauit,
Priusq; vidit Purpuram quam Solem,
Vel ab ipſo Sole Rex ſalutatus.
Vix dum enim natus, adoleuit ad Regnum Hungariæ
Aetatem præuertens Imperijs
In annorum acerbitate maturum habuit Sceptrum.
Tertium agens annum Bohemiæ Rex coronatur.
Intra octauum mortuo Patre regnat;
Annos nempe nõ clauo veterum ritu Romanorũ,ſed ſceptro
notauit.
Aeuum dimenſus Imperijs
Vt Sol vix natus iam Gigas.
Tum verò plures orientem LVDOVICVM
Quam occidentem VLADISLAVM adorabant,
Oriebatur hic Sceptro ille occidebat.
Sed qui meridiem habuit in exortu
Occaſum inuenit in Meridie.
Pacem odit,
Sextum & decimum agens annum Bellum Turcis mouet,
Fatisnè an iuuenili ardore actus!

Digitized by Google

Pugnæ atrocitatem riui ſanguinis in Danubium excurrentes
teſtati ſunt.
Fortaſſe naufragium LVDOVICO pertendebant
Vel in fuga.
Fortunam ergo quæ ſtare neſcit cadentem adultus habuit,
quam adultam puer fuerat expertus.
A Solio in paludem præcipitauit.
Nam dum ignem ſuis fortè immiſſum copijs vitat,
Locorum ignarus & facti
Quam fugiebat ab igne mortem, fugiendo inuenit in aquis,
Luculentam hic vitam exitu lutulento concluſit,
& Vitæ lucem, luto mortis inquinauit
Vſitato Fortunæ more
In Heroes
At Fortunæ ſcelus Solimani lachrymis dilutũ videri potuit,
Mortuum enim luxit Solimanus
quem timuerat viuum.
Igitur natus in Purpura LVDOVICVS, in luto moritur,
Suorum pedibus conculcatus,
Quorum fuerat capitibus adoratus,
Fortunam expertus ſummam & imam.
Lachrymarum debuit eſſe mater mors illa,
quæ nata fuit ab aquis.
Ignotus diu in palude iacuit,
Naufragium famæ, vitæ naufragio deleturus
Niſi militum induſtria vetuiſſet.

DE

Digitized by Google

DE LVDOVICO IAGELLONIO

HVNGARIAE & BOHEMIAE

REGE

PROSOPOPAEIA AD FORTVNAM.

Inquies Ponti ſoboles, procella
Aequore enaſcens tumido obſtetrice
Docta cararum madidis in vlnis
Voluere fluctus.
Quæ rota ſtas inſtabili, citosq;
Tolleris nunc, nunc premeris per axes,
Ima quæ ſummis, mala quæ remiſces
Fata ſecundis.
Allicis viſu facili, ſed aret
Riſus in primis labijs, dolorq;
Germinat ſæuus, lachrimisq; triſtis
Cura rigatur.

Falce tu Lethi iuuenes, velut bos
Herbulas carpis teneras, recidit;
Quamq; diſpergit tua dextra gazam
Læua reſumit.
Sceptro tu Regum, chlamydemq; & aurum
Frontium immutas decus, & ligones
Regijs addis manibus, ſagoq;
Contegis artus.
Scilicet cæco raperis volatu,
Impetu inſano ruis; inq; præceps
Quidquid incurrit trahis, vt fugaces
Littore fluctus.
Ora iucundo bene picta riſu
Viderat, donisq; manus onuſtas,
Et ſinu eductas LVDOVICVS almas
Currit ad vlnas.
Inter amplexus hilares, & inter
Oſcula, ætatis ſuperant rigores
Creſcit inuitis puer, imperatq;
Inclitus annis.
Crine nudatum caput ornat auro,
Inde ditari properant Capilli:
Sceptra vix palmis tenet, & rapaci
Arcet ab vngue.

Ob-

Obſtupet Phœbus redomita cernens,
Tempora inflexo male firma collo
Cuius ad nutū Vngaricum & Boemum
Militat agmen.

Hæc puer nondum tremulus, ſed amplum
Sole Cælum ſex decies remenſo
Robora in Turcas, fera & arma, & acres
Concitat iras.

Hæſit hic riſus, dubiosq; vultus
Cernere accepit, varioq; nouit
More Fortunæ celerem fauentis
Vertier Orbem:

Namq; dum belli furor ardet, iſtusq;
Metus quiſque ingeminat, cremari
Caſtra, furori data caſtra flammæ
Cernit, & audet.

Audet effuſo Oceano cruoris
Hoſtium flammam eluere, & repreſſo
Igne, mutata vice fulguranti
Vrere ferro.

Impares vires animo, fugaci
Milite expertus, nimis heu iniquis
Paſſibus fruſtra per aquoſa tentat
Siſtere Diuam.

Nam-

Digitized by Google

Namque vbi exundans vada cæca flumen
Arnobæ è duro gremio, remiſcet,
Igne ne arderet rapido, Vadoſa
Mergitur vnda.

Digitized by Google

DIVVS CASIMIRVS

Quidni Regum Faſtos exornet?
Quē & altior Maieſtas Populis adorandū Cęli ſolio recepit,
Et magnus animus quantùm Regibus emineret, oſtendit;
Cùm
Sub coronarium aurum, quod ei Hungaria detulit,
ire recuſauit.
Confuſum vidiſſes ambitionis ordinem,
dum peterent iſti qui dabant,
Ille ad quem ambitus pertinebat, Regnum abnueret;
Imò daret, cùm non acciperet oblatum.
Facilè
ſublimem animum qui ſceptra calcare potuit, Cęlo admouit.
Delicijs alij fouendis Purpuram induunt,
Regio ille cultu arma in cœli expugnationem tegebat.
Manus
Quas ambitioni ſubtraxit, pia in ſe crudelitate armauit,
Templum
quod cœli armamentarium eſſe nouerat,
non diebus duntaxat, ſed noctibus pariter,
ſolo tenebrarum horrore circumſeptus adibat,
Vt quandoq; vigilum manus præ foribus excubias agentem,
Ex ſolius patientiæ miraculo agnoſceret.
Nihil in vultu ad Maieſtatis opinionem,
Nihil ad lætitiæ amœnitatem defuit,
Animus per omnia Regius, & in cœleſtium meditatione
Publicæ ſalutis memor emicabat.
Vt firmiſſimo Religionis nexu Ciuium animos colligaret,
Legem à Patre impetrauit,
quà contumaces diſſidentis Sectæ Spiritus
lentà temporis mora extingueret.

Dum

Digitized by Google

Dum Fana ſemel vetuſtate collapſa,
Ad errorum conſpirationem conſurgere prohiberet,
Efficax tanto malo, promptum,
& ſine clementiæ detrimento remedium,
Ita in alios benignitatem ſeueritate temperauit,
Vt totum in ſe aſperæ dimicationis impetum conferret.
Morbus & mors, (cùm in Medicis ſpes non eſſet)
ad thalami neceſſitatem cogebant,
At ille morbũ; & mortem elegit, ne Sibi & voluptati indulgeret;
Sed qui inter Patris trophæa mundum ingreſſus eſſet,
Cœlum, Sui, Naturæ, & Mortis Victor intraret.
Reperit & poſt mortem quod vinceret,
cùm properantibus in obſequium elementis,
Nũc per inuios hactenus fluuij vertices exercitũ duceret,
Nunc curúli nube innectus victoriã ex alto Lithuanis demitteret;
Tantùm intereſt in Victoriâ ſpiritum effudiſſe,
vt cùm victor animus æternitatem cœperit,
Finem victoriæ neſciant.

D. CA.

Digitized by Google

D. CASIMIRVS
AD REGNVM HVNGARIAE INVITATVS.

Te ſuum dicens CASIMIRE Regem
Nobiles Lechi, Litauiq; fortes,
Pruſſus ad cunas iacet, & Bohemus
Sceptra reponit.
Quantus in Patris ſalit inde pectus
Gaudij ſenſus? quibus auſpicatæ
Vocibus Proli memorat futuros
Augur Honores?
Spes ſed ingentes, cupidæq; mentis
Vota non paruò ſpatio relinquis,
Syderum æterno redimire frontem
Dignior auro.
Hungari fruſtra meritis minorem
Deferunt Magno Capiti coronam,
Magna te cæli petit aula Regem, &
Celſior orbis.

Inde,

Digitized by Google

Inde, ſeu fractas Aquilo procellas
Suſcitet rurſum, vel iniqua Baltis
Sæuiat fluctu, reuehatq; vaſtis
Bella carinis,
Pacis aut ſemper dubius Gelonus
Bella furtiuo meditetur auſu,
Aut ruat totis metuendus in nos
Boſphorus armis;
DIVE non vanas iaculare nubes,
Sentiant Lechis inimica Numen
Pectora iratum, meritas & æqui
Fulminis iras:

Digitized by Google

IOANNES ALBERTVS.

Imperij Auiti, non Fortunæ Hæres;
Animo, & manu promptus,
infelicitate impeditus,
Præceptam cogitatione victoriarũ metã non attigit.
Bonitate ingenij ſui,
Alterius fœdifragas pollicitationes menſus,
explicatum exercitum implicatæ fidei concredidit;
è campis Patrio Marti propitijs,
In inuias extractus ſyluas,
Virentem palmis ſub tot Regibus Poloniam
Infelicibus auſpicijs adußit;
Semel edoctus
vt perfido aures ſubtraheret,
etiam animum fideliſſimum commodauit;
Inermem & ſynceram dexteram,
cum armatâ & ſubdolâ compoſuit,
Bellum cogitanti Valacho, pacem dedit;
Dum
iniurias Patruî perſequitur, Se propè amiſit,
Didicit pernicioſo ſibi experimento,
Perfidiam veniâ non placari.
Quæ

Non

non tam fructum Clementiæ cogitat,
Quàm
apertum ſcelus alio ſcelere tegere conatur,
Dum ei exitium parat
Quem conſcium criminis ſentit.
feliciore omine
Altero in Turcas bello cœlum mouit;
Dum enim
in Regni fines vt prædones ſe effundunt;
Hyberna tempeſtate euerſi
Quadraginta millibus pauciores in patriã remeant.
Regiæ hoc datum Pietati,
Vt cœlum in hoſtes armauiſſe crederetur.

IOAN.

Digitized by Google

IOANNES ALBERTVS

Irrumpentes Scythas cœlitus obortæ tempeſtatis auxilio profligauit.

Nubibus clauſi properate fontes
Perfidi in pœnam capitis, ruinam
Ferte, feralis metuenda peſtis
Fundite tela.
Regis ALBERTI pia vota Cœlo
Detrahunt imbres: & emace luctu
Nubila impregnant, pluuijsq; ſudum
Aethera condunt.
Cæteri vibrent gladios in hoſtem,
Caſſides pulſent galeis, refundant
Tela pro telis & acuta pilis
Pila retundant.
Quis tamen ſortem ſtabilem Gradiui
Credidit? pugnas. & in arma pubem
Promoues? ſternet malus expedita
Agmina caſus.

Digitized by Google

Huic ego pronos voueo triumphos ,
Huic ego fuſos video Tyrannos ,
Cui ſerenatus face , fonte , telis ,
Militat Aather .
Ite pugnaces Aquilæ , & tremendis
Ferreæ telis properent cateruæ ,
Ite Corytis , gladijs , ſagittii
Condite Solem :
Hinc Pharetratus numeroſiore
Miles intendat clypeo ruinam ,
Vnico lectas acies Olympus
Obruet ictu .

ALEXANDER

Ex DVCE LITHVANIÆ,
in REGEM POLONIÆ lectus,
initia imperij iniquiora Paſſus,
fortunatiſſimo exitu coronauit,
FORTISSIMVS PRINCEPS,
quem
primipila calamitas cùm deijcere laboraret,
quia inuictum vidit,
extulit.
Omen victoriarum fuit,
cùm aduerſitate luctari, & vincere.
Maximum telum Fortunæ ſenſit,
cùm
Fratrem FREDERICVM
& Matrem ELISABETHAM extulit,
Motus inter Sacrum.
& Equeſtrem Senatum, ita compoſuit,
Vt priſtinæ authoritati, quà fruebatur, relinqueret,
& placaret.
Munificentiam eius Annales deprædicant
& aliorum Regum liberalitati præponunt.
Quadriennium erat
quo ad Impeij gubernacula ſedit,
& periculum omnis ætatis fecit
Illibatus viribus, multorum iacturam ſenſit,

Digitized by Google

Ægritudine corporis tactus,
Fortunam auerſam recepit.
Scythas ita per Legatos fudit,
Vt
nuncium cladis non reperirent in Patriam:
Ita Scythici nomen meruit.
Vt illud ad vrnam deferret.
Vel hinc feliciſsimus,
quod
cùm vitam clauderet,
certior de victorià factus.
non hìc breuem triumphum egiſſet:
Sed cùm victorià
è terris ad Cęleſtem palmam properaſset.

ALE-

Digitized by Google

ALEXANDER

Morti proximus

De Victoria ex Scythis certior redditur.

❧*❧

Hoſtis hybernæ populator oræ
Concanus Lechis famulatur armis,
Ferte pugnaces aliò ſagittas
Littala pubes.
O Polo, PRINCEPS, Superisq́: care,
Quem rapit curſus melioris æui
Dum fauens pandit tibi Cælicas Vi-
ctoria portas.
Palma quæ noſtris viret in triumphis,
Sæpiùs ventis laceratur: Axe
Quæ viret (quò tu properas) ruinam,
Fataq́; neſcit.
Hìc vbi prædo volitauit hoſtis,
Matribus luctum, puerisq́; queſtus
Exprimens, ſortes vbi fraudulentus
Vertit aceruos.

Digitized by Google

Pace frondeſcunt tua regna, pacem
Nobili plauſu geminant, procellis
Abſtinent campi, rediuiua tollunt
Oppida frontem.
Id tuus certè meruit triumphus,
Quem (pharetratas Scythiæ cateruas
Dum Lechus præ ſe glomerat,) mereris
Hoſpes Olympi.
Vrbium Lunæ rapiuntur amne
Ocyùs; claudi tua ſed trophæa
Neſcient ripis, ſterili datura
Nomina Ponto.

Digitized by Google

SIGISMVNDVS PRIMVS

Triumphis Magnum, Prudentia, Vlyſſem ſuperauit;
Diuturnitate Imperij AVO proximus,
Victorijs ad Herculem, ætate ad Neſtorem acceſſit,
SCYTHICVS, VALACHICVS, MOSCHOVITICVS,
PRVSSICVS.
Quidquid Fortuna Fratribus vel negauerat,
vel ſubtraxerat,
Eius Gloriæ reſeruauit.
Primus Regum Poloniæ
Mazouiæ Ducis radium
ſuæ Coronæ addidit;
Captiuos in Scythica acie, ſuis auſpicijs
in hoſtem armauit,
& ad victoriam vinculis abſoluit.
Ex Moſchouià incruentam retulit palmam,
trecentorum ſuorum armis quadraginta duo millia cecidit,
Sanguine, Patriæ ſplendorem illuſtrauit.
Primus irreligioſum Pruſſiæ Magiſtrum
Quem alij Reges armis exuerant,
habitu mentito ſpoliauit.
Ducalem tamen ei pileum, Feudi titulo, dedit,
ne religione ampliùs odium tegeret.
Iniurias in Valachos proùocatus refudit,

 Opti-

Digitized by Google

Inde, ſeu fractas Aquilo procellas
Suſcitet rurſum, vel iniqua Baltis
Sæuiat fluctu, reuehatq; vaſtis
Bella carinis,
Pacis aut ſemper dubius Gelonus
Bella furtiuo meditetur auſu,
Aut ruat totis metuendus in nos
Boſphorus armis;
DIVE non vanas iaculare nubes,
Sentiant Lechis inimica Numen
Pectora iratum, meritas & æqui
Fulminis iras:

Digitized by Google

IOANNES
ALBERTVS.

Imperij Auiti, non Fortunæ Hæres;
Animo, & manu promptus,
infelicitate impeditus,
Præceptam cogitatione victoriarũ metã non attigit.
Bonitate ingenij ſui,
Alterius fœdifragas pollicitationes menſus,
explicatum exercitum implicatæ fidei concredidit;
è campis Patrio Marti propitijs,
In inuias extractus ſyluas,
Virentem palmis ſub tot Regibus Poloniam
Infelicibus auſpicijs aduſſit;
Semel edoctus
vt perfido aures ſubtraheret,
etiam animum fideliſſimum commodauit;
Inermem & ſynceram dexteram,
cum armatà & ſubdolà compoſuit,
Bellum cogitanti Valacho, pacem dedit;
Dum
iniurias Patruì perſequitur, Se propè amiſit,
Didicit pernicioſo ſibi experimento,
Perfidiam veniâ non placari.
Quæ

Non

non tam fructum Clementiæ cogitat,
Quàm
apertum ſcelus alio ſcelere tegere conatur;
Dum ei exitium parat
Quem conſcium criminis ſentit.
feliciore omine
Altero in Turcas bello cœlum mouit;
Dum enim
in Regni fines vt prædones ſe effundunt,
Hyberna tempeſtate euerſi
Quadraginta millibus pauciores in patriã remeant.
Regiæ hoc datum Pietati,
Vt cęium in hoſtes armauiſse crederetur.

Digitized by Google

IOANNES ALBERTVS

Irrumpentes Scythas cœlitus obortæ tempeſtatis auxilio profligauit.

Nubibus clauſi properate fontes
Perfidi in pænam capitis, ruinam
Ferte, feralis metuenda peſtis
Fundite tela.
Regis ALBERTI pia vota Cælo
Detrahunt imbres: & emace luctu
Nubila impregnant, pluuijsq; ſudum
Aethera condunt.
Cæteri vibrent gladios in hoſtem,
Caſſides pulſent galeis, refundant
Tela pro telis & acuta pilis
Pila retundant.
Quis tamen ſortem ſtabilem Gradiui
Credidit? pugnas. & in arma pubem
Promoues? ſternet malus expedita
Agmina caſus.

Digitized by Google

Huic ego pronos voueo triumphos,
Huic ego fuſos video Tyrannos,
Cui ſerenatus face, fonte, telis,
Militat Aather.
Ite pugnaces Aquilæ, & tremendis
Ferreæ telis properent cateruæ,
Ite Corytis, gladijs, ſagittii
Condite Solem:
Hinc Pharetratus numeroſiore
Miles intendat clypeo ruinam,
Vnico lectas acies Olympus
Obruet ictu.

Digitized by Google

ALEXANDER

Ex DVCE LITHVANIÆ,
in REGEM POLONIÆ lectus,
initia imperij iniquiora Paſſus,
fortunatiſſimo exitu coronauit,
FORTISSIMVS PRINCEPS,
quem
primipila calamitas cùm deijcere laboraret,
quia inuictum vidit,
extulit.
Omen victoriarum fuit,
cùm aduerſitate luctari, & vincere.
Maximum telum Fortunæ ſenſit,
cùm
Fratrem FREDERICVM
& Matrem ELISABETHAM extulit,
Motus inter Sacrum.
& Equeſtrem Senatum, ita compoſuit,
Vt priſtinæ authoritati, quà fruebatur, relinqueret,
& placaret.
Munificentiam eius Annales deprædicant
& aliorum Regum liberalitati præponunt.
Quadriennium erat
quo ad Impeij gubernacula ſedit,
& periculum omnis ætatis fecit
Illibatus viribus, multorum iacturam ſenſit,

Ægritudine corporis tactus,
Fortunam auerſam recepit.
Scythas ita per Legatos fudit,
Vt
nuncium cladis non reperirent in Patriam:
Ita Scythici nomen meruit.
Vt illud ad vrnam deferret.
Vel hinc feliciſsimus,
quod
cùm vitam clauderet,
certior de victoriâ factus.
non hìc breuem triumphum egiſſet:
Sed cùm victoriâ
è terris ad Cœleſtem palmam properaſset.

ALEXANDER

Morti proximus

De Victoria ex Scythis certior redditur.

Hoſtis hybernæ populator oræ
Concanus Lechis famulatur armis,
Ferte pugnaces aliò ſagittas
Littala pubes.
O Polo, PRINCEPS, Superisq́: care,
Quem rapit curſus melioris æui
Dum fauens pandit tibi Cælicas Victoria portas.
Palma quæ noſtris viret in triumphis,
Sæpiùs ventis laceratur: Axe
Quæ viret (quò tu properas) ruinam,
Fataq́; neſcit.
Hìc vbi prædo volitauit hoſtis,
Matribus luctum, puerisq́; queſtus
Exprimens, fortes vbi fraudulentus
Vertit aceruos.

Pace frondeſcunt tua regna, paceu
Nobili plauſu geminant, procellis
Abſtinent campi, rediuiua tollunt
Oppida frontem.
Id tuus certè meruit triumphus,
Quem (pharetratas Scythiæ cateruas
Dum Lecbus præ ſe glomerat,) mereris
Hoſpes Olympi.
Vrbium Lunæ rapiuntur amne
Ocyùs; claudi tua ſed trophæa
Neſcient ripis, ſterili datura
Nomina Ponto.

Digitized by Google

SIGISMVNDVS PRIMVS

Triumphis Magnum, Prudentia, Vlyſſem ſuperauit;
Diuturnitate Imperij AVO proximus,
Victorijs ad Herculem, ætate ad Neſtorem acceſſit,
SCYTHICVS, VALACHICVS, MOSCHOVITICVS,
PRVSSICVS.
Quidquid Fortuna Fratribus vel negauerat,
vel ſubtraxerat,
Eius Gloriæ reſeruauit.
Primus Regum Poloniæ
Mazouiæ Ducis radium
ſuæ Coronæ addidit;
Captiuos in Scythica acie, ſuis auſpicijs
in hoſtem armauit,
& ad victoriam vinculis abſoluit.
Ex Moſchouià incruentam retulit palmam,
trecentorum ſuorum armis quadraginta duo millia cecidit,
Sanguine, Patriæ ſplendorem illuſtrauit.
Primus irreligioſum Pruſſiæ Magiſtrum
Quem alij Reges armis exuerant,
habitu mentito ſpoliauit.
Ducalem tamen ei pileum, Feudi titulo, dedit,
ne religione ampliùs odium tegeret.
Iniurias in Valachos proùocatus refudit,

 Opti-

Digitized by Google

Optimam belli aleam ratus ex iuſtiſſimà naſci causà.
Filium AVGVSTVM, Collegam ,
Infantem ferè , in Imperiùm vocauit ,
Vi tot Nationum Victor
REGEM regeret.
Felix CONIVGE,
Quam BONAM accepiſſet ;
Felicior FILIO,
Quem SIGISMVNDVM reliquiſſet ;
Feliciſsimus FILIA,
In quà IAGELLONES conſeruaſset .

Digitized by Google

SIGISMVNDVS
PRIMVS

Pruſſiam Feudi nomine Poloniæ Prouinciam facit.

Inclytum Solis iubar, æuiternos
Suggerit noſtræ radios coronæ,
Dum SIGISMVNDO peperit recentem
Pruſsia Palmam.
Præter affines vitijs dolos, &
Deſidis lucri pretium, omne caſto
Exigit regno ſcelus, & potenti
Fulmine ſternit:
Eſt parum mores reuocare lapſos,
Et Patrum ſenſus, veteresq́; ritus,
Eſt parum puro ſimiles Olympo
Scribere leges.
Addit Auguſtæ radios coronæ
Pruſſiæ magnum decus, inclytoq́;
Viuidus lucro, meliore terras
Lumine veſtit.

Pruſ-

Digitized by Google

Pruſſus at laſſas acies relaxet
Pacis æternæ ſtudijs, & actam
Martis luſtris recreet petitâ
Pace iuuentam.
Saucium bellis latus, inquietæ
Dum ſtudet pugnæ, releuet ſuaui
Foederis nexu, vacuasq́; ponat
Vertice criſtas.
Legibus concors animiſque, ſi ſors
Arma poſcamus, ſociale iungat
Brachium, Martis comes, & triumphi
Proximus adſit.

Digitized by Google

SIGISMVNDVS
AVGVSTVS.

Par Tanto Nomini,
Quem decennem, Sexagenario Maior PARENS,
parem ſibi credidit,
cùm Maieſtatem partitus COLLEGAM nominauit.
à Natali die Nomen ſortitus,
cùm ſuo Nomine Menſes, & Anni
ſine iniuriâ ſignandi eſſent.
Orbis miraculum,
cùm ex euentu non ſolum factorum,
ſed & verborum ſe Regem probauit.
Vnioni duarum Nationũ, cuius fundamenta PROAVVS jecerat,
AVVS cum PATRVIS & PARENTE vix promouerant,
deſideratiſſimum apicem impoſuit.
Id erat primũ quod in limine throni expetẽtibus promiſerat.
Alterum
Omnibus difficile, multis incredibile, Soli AVGVSTO facile,
Legum executio fuit.
Fecit hanc citiùs quàm dixerat,
feliciùs, quàm omnes ſperauerant.
Regni viſcera cum pace compoſuiſſet,
Fines armis illuſtrauit.
Omnibus in Moſchos prælijs Victor,
MOSCHOVITICI titulum tuliſſet,
niſi NEPOTVM Gloriæ reſeruaſſet.
Liuones, & Suecos armis attriuit.
Fidem publicam à Gottardo Ketlero accepit:
PATRE hàc in re non inferior,

Quòd

Quòd Ille Pruſſiam, Ipſe Curlandiam,
Principe impoſito, Poloniæ Prouincias ordinaſſent.
Quietis tandem publicæ Tutor,
cùm PATREM Imperij diuturnitate æquâſſet,
Non priùs oculos in mortem,
quàm gladium in vaginam condidit.
Pacem ita firmam cum Moſcho icit,
Vt
annuum Interregnum
ſine belli metu ciues exegerint.

S I-

SIGISMVNDVS
AVGVSTVS
MOSCHORVM
Domitor.

Pone mordaces Sobolis futuræ
Magne Rex curas, Patriæ Curules
Qui regant, ſurgent, IAGELLONIS æuo
Linea curret.
Magna te poſcunt Patriæ pericla,
Magna telorum ſeges, & Gradiui.
Barbaras ferro facili quid hæres
Fundere turmas?
Agminum ſpecta ſonitum, & canoros
Hoſtium pronà lituos bibe aure:
Non vides quantà ferus ecce ſpumat
Moſchus ab irà?
Sed tuis cedet iaculis, tuæq;
Dexteræ non, ſi repetat cruentos
Perfidus campos, meliore flectet
Arma calore.

Barbarus ſanguis generoſiores
Impetus neſcit, pecudumq́; ritu
Spiritum ſegnem bibit, atque craſſo
Tramite ſerpit.
Ruſticos neruos Lechici Monarchæ
Nobilis ſoluet calor, aridisq́;
Hauriet ſuccum capulis, & armis
Obruet arma.
Nec ſatis Moſobi domuiſſe robur;
Cerne quàm diues tibi Pompa laudum
Naſcitur, qui ſis, Gothus experiri
Tentat in armis.



SIGISMVNDVS TERTIVS,

PARENTEM,
quem (vt amoribus Ciuium ſubtraheret) Aemulus Frater
tenebris damnauit,
Natus ab Liberæ Gentis Sceptra,
Luci, ac Regno dedit.
Vt non fruſtra Controuerſiam moueres,
An Filij Parentibus par reddere non poſsint?
Vt
IAGELLONIVM agnoſceres,
Hæreditariam in Matre pietatem amplexus,
PATRI in fide reſtitit.
Imperare dignus, qui cano in pueritià ſenſu
Imperij terminos non ignorauit.
Ad Regnum POLONIAE
Partium ſtudio inuitatus, totum Aemulo excluſo occupauit,
AVGVSTAM tamen AVSTRIAM & throni
& tori conſortem fecit.
Malè fœderatas Ciuium acies, quas paucorum error,
Multorùm Fatum armauerat, paruà manu compreſsit,
Clementià ne perirent prouidit,
Benignitate ſibi ſuiſque reddidit.
Sic Ciuium animos ſibi quandoque infenſos,
Semper vincebat, vt parceret;
ita parcebat, vt vinceret.
Hoſtem externum nullum habuit, quem timeret;
In nullum dextram tulit, a quo non timeretur.
Moſchorum & Regiam, & Ducem cepit.

Grandi

Digitized by Google

Grandi Europam metu liberauit,
Cùm
Effuſas totius Aſiæ vires Polono robore
Sine exterorum Principum ſubſidijs repreſſit.
Turcicam Lunam ita ad luminis defectionem coëgit;
Vt pudendos Oſmanus vultus nunquam ampliùs
de tenebris extulerit.
De Scythis multæ victoriæ frequentiâ æſtimationem perdiderunt
Coactus & in ſanguinem pugnare,
Degeneres Propinquos
non minùs fortitudine, quàm æquitate ſuperauit.
Annos in regno ſex & quadraginta bellis, victorijs, & triũphis
perpetuis exegit.
Conſorte omniũ (ſi principia exemeris) MAGNO VLADISLAO
Quem
moriens, Hæreditarium Sueciæ Regem,
Moſchouiæ Ducem,
& votis omnium Polono Diademati deſignatum, reliquit.



SIGISMVNDI
TERTII
Gloria Superſtes.

An SIGISMVNDVM tumulo repoſtum
Creditis Lechi? ſolito gubernat
Sarmatas Sceptro, Patriamq́; ſuetà
Luce coronat.
Ille fatali Rhodopen tumultu
Impulit, frontis tumidum vt cacumen
Sterneret Lecho, dominata multis
Impia terris.
Ille dum parmam, facilemq́; magno
Vertici infudit galeam, comantes
Euibrans criſtas, radijs pauentem
Terruit Iſtrum.
Terruit Lunam ſtudijs ferocem
Martis; à forti capuli nitore
Languit Pontus, cecidit liquente
Cynthia cornu.

Digitized by Google

Quid canam Moſchos toties cruentis
Prælijs fuſos? reduces cohortes
Ille cenſebat, numerabat atra
Funera Moſchus.
Quid canam fractos toties Gelonos?
Quid Dahas ſtratos, timidosq; Colchos?
Quid Scythen? dirumq; Tyran? quid alti
Littora Xanthi?
Fulgurat Martis ſonitu, ſed omnem
Præripit palmam Pietas, ſuàq;
Luce conueſtit, meritoq; cingit
Tempora ſerto.

Digitized by Google

VLADISLAVS QVARTVS.

Magna & Solius VLADISLAI laus,
ad Liberæ Gentis Faſces ſine Aemulo acceſſiſſe.
Regum nemo, aut Principum repertus,
Qui
in medio poſitum, & votis omnium patens Regnum,
peteret,
Cùm VLADISLAI decora,
& Polonorum ſtudia cogitaret.
Solus vt regnaret, Orbis totius calculum meruit,
quaſi omnium Regnorum deſignaretur
IMPERATOR.
Tot Reges, atque Principes Aemulos vicit,
Quot erant quibus ſpem, & Ambitum præcluſit.
Per Amicorum igitur, imò & Hoſtium vota
ad Solium euaſit:
Illorum amicitia, iſtorum metu ſuffragante;
Quibus
tot bellis inuictam fortitudinem oſtendiſſe,
& maximis Terrarum Regibus terrorem inieciſſe,
maximum ad capeſſenda regna momentum erat,
Pacatum quod erat toto Interregno ſceptrum,
vbi in manus venit, in gladium exijt.
Facilis Victori Moſchus,
& ex vſitatà ſub Ducibus ſeruitute,
ad conſpectum ELECTI Ducis pauidus,
vt facilè antea caput ſubmiſit, ita nunc manus dedit.
Facilem quoque Victorem reperit,

Digitized by Google

ita ſanguinis alieni parcum, vt etiam lacrymas ſiſteret,
ita in corpora clementem, vt vmbris quoque parceret.
Nec ſine omine
cum Moſcho Hæreditarij Polonorum Hoſtes Turcæ
vix inauguratum Regem bello laceſſiuerunt,
vt Spiritu Suo illum digniorem, cũ cæderentur, oſtenderent:
vt ſuos annos illius ætati adijcerent.
Quanquam
Talem eis victorem Fortuna obtulit,
qui dare, quam accipere ſalutem paratior,
Hoſtiũ ruinã non ſuæ voluntati; ſed illorũ infelicitati adſcriberet.
Arma deinde Sueco oſtentauit, & Pacem perſuaſit;
Perditam Pruſſiam in fidem recepit.
Rebus domi compoſitis, extra pacatis,
CAECILIAM RENATAM AVSTRIACAM,
Imperatorum Filiam, Sororem, Neptem,
ad Regnum, & torum aſſumpſit,
Quam ex ſuo Orbis voto
REGVM MATREM ſalutet.

IOAN.

Digitized by Google

VLADISLAVS
QVARTVS
Turcicus, Moſcouiticus.

Credulas, ſpero, dabitis canenti
Sarmatæ mentes, Lechicæ coronæ
Additur PRINCEPS nouus, Orbe maior,
Non minor aſtris.
Biſtonum denſas domuit Phalanges,
Artacen forti gladio ſubegit,
Boſphorum vinclis, geminoq; ſtrinxit
Strymona nexu.
Aemus ad tantos tremuit labores.
Hebrus infracto ſtupefactus auſu,
PRINCIPIS Palmas veneratus æuum, in
Bella ſpopondit.
Mollijt Moſchos acie, & Tiaram
Imperi ſignum meritus reliquit,
Enſe non auro ſolitus proteruis
Dicere iura.

Nunc

Digitized by Google

Nunc vbi Moſchi poſuère tela,
Tela Lithuanis inimica telis,
Marte ſuſpenſo dedit inquieto
Otia regno.
Condito clemens placiduſq; telo,
Pace firmatas moderatur oras,
Aurea vt nobis redeant abacto
Sæcula ferro.
Regnet, & Patri Sobolem propinquam
Moribus gignat, Patriamq́; clarà
Prole foecundans diuturna condat
Tempora Lechis.

FINIS.

Digitized by Google

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N
O P Q R S T V X Y Z

Omnes ſunt Quaterniones, præter a, *&* Z, *Duerniones.*

ROMAE, Ex Typographia Hæredum Franciſci Corbelletti. M. DC. XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google



Digitized by Google

INDEX

Eorum quæ in hoc volumine continentur.

ACademiæ Vilnenſis Panegyricus Vladiſlao Quarto Regi Poloniæ dicatus fol. 89
Eiuſdem laureæ Academicæ Vladiſlao Quarto dicatæ. 147
Eiuſdem Theatrum gloriæ. 189
Eiuſdem Icon votorum. 263
Eiuſdem æternitas ſterpis Iagellonicæ Regum pag. 305

Geor-

Georgij Comitis a Tencin Oſſolinski S.R.I. Principis oratio habita Romæ ad Vrbanum Octauum P.M. 73
Eiuſdem oratio altera habita ad Venetiarum Ducem. 81
Eiuſdem oratio habita Ratiſbonæ in Collegio electorali. 149
Ioannis Lipski Epiſcopi Culmenſis, & Pomeſaniæ oratio funebris ſcripta Sigismundo III. Poloniæ Regi 45
Eiuſdem elogium funebre ſcriptum Principi Alexandro. 136
Eiuſdem oratio ad Ferdinandum III. Imperatorem. 257
Stanislai Lubienski Epiſcopi Plocenſis Laudatio funebris ſcripta Sigiſmundo III. Regi Poloniæ. 1
Eiuſdem laudatio altera. 38
Societatis Ieſu Cracouien. arcus pacis Vladislao Regi dicatus. 215

FINIS.

Errores Corrige.

Pag.	Verſ.	Errata	Corrige	Pag.	Verſ.	Errata	Corrige
4	14	rantummodo	tantummodo	236	27	magnitudinẽ	magnitudine
10	20	ad	a	239	7	facere	faceret
11	22	gloria	gloriam	239	15	ipſa	ipſo
11	24	clementiam	clementia	[illegible]	26	præbat	praibat
12	16	ſiue	ſine	252	27	operiri	opperiri
14	31	imperarũq.	impetrarũq.	277	2	vinceter	vinceret
16	4	ſorores	ſorore	293	14	Brigittæ	Brigittæ
16	17	remeritatem	temeritatem	300	32	tetro	retro
16	34	omnis	omnibus	301	17	allem	callem
17	17	nomini	nominis	301	32	diuiditur	diuideret
36	22	inglo·uis	inglorius	309	26	ſucceſſa	ſucceſſu
74	6	cripuit	eripuit	323	10	iu	in
93	2	ruæ	tuæ	329	1	redomita	redimita
104	4	appararu	apparatu	329	13	iſtuſq.	iuſtoſq;
201	77	Aequilas	æquitas	329	18	aluere	eluere
204	6	vrbeſq.	vvbeſq;	338	7	recuſanit	recuſauit
204	11	vidimns	vidimus	331	vlt.	neſciant	neſciat
208	7	non	nos	333	4	dicens	dicent
216	4	commune	communem	336	vlt.	cæium	cælum
218	1	honori	honore	338	7	ſagittii	ſagittis
220	2	ali	alia	344	4	vi	vt
229	32	police	pollice	346	4	martis	martijs
233	24	exciperet	excipere	361	7	ab	ad
236	33	mutilarum	mutilatum	367	6	Lechitæ	Lechicæ

Digitized by Google

Digitized by Google